De titulorum Africae Latinorum sermone quaestiones morphologicae.

Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis ad summos in philosophia honores in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca rite impetrandos

die III. mensis Octobris anni MCMXIII hora XII.

una cum sententiis controversis in Aula Leopoldina

publice defendet

Ericus Pieske
Silesius.

Adversarii erunt
Lotharus Friese, Dr. phil.
Iosefus Wagner, Dr. phil.

Trebnitziae
Typis Maretzke et Maertin
MCMXIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Ricardus Foerster.

Examen rigorosum habitum est a. d. VII. Kal. Quint. MCMXIII.

PARENTVM MEMORIAE

S.

Fontes.

Audoll. = Augustus Audollent, Defixionum tabellae. Paris 1904.

C. G. Bruns, Fontes iuris Romani antiqui.[7] Tubing. 1909.

Cagnat = L'année épigraphique par R. Cagnat, M. Besnier. 1903—1909.

CIL = Corpus inscriptionum Latinarum (ad cuius volumen octavum omnes numeri numero voluminis non apposito pertinent).

CLE = F. Buecheler, Carmina Latina Epigraphica (Anthologiae Latinae Pars II). Lips. 1895. 1897.

Dessau = Herm. Dessau, Inscriptiones Latinae selectae. Berlin 1892—1906.

E. Diehl, Lateinische christliche Inschriften. Bonn 1908.

E. Diehl, Vulgärlateinische Inschriften. Bonn 1910.

Ee = Ephemeris epigraphica.

Lex Manc. [116/7] = Seeck, Die lex Manciana. Neue Jahrb. f. Philol. 1898 p. 628; Schulten, Die lex Manciana. Abh. d. Götting. Ges. d. Wiss. N.F. II, 3 (1897).

Paul Monceaux, Enquête sur l'épigraphie chrétienne d'Afrique. Revue archéologique 1903. 1904. 1906.

Uchi Maius = Merlin et Poinssot, Les inscriptions d'Uchi Maius. Paris 1908. Notes et documents p. p. la direction des antiquités et arts. II.

Index librorum, qui saepius afferuntur.

ALL = Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik, herausg. von E. von Woelfflin I—XV.

Appel = E. Appel, De genere neutro intereunte in lingua Latina. Diss. Erlang. 1883.

App. Prob. = Appendix Probi ed. Heraeus ALL XI p. 301. (Alii scriptores grammatici secundum Keilii editionem laudantur.)

Bindel = Arminius Bindel, De declinatione latina titulorum quaestiones selectae. Diss. Ien. 1912.

Birt = Theodor Birt, Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration bis zum X. Jahrhundert n. Chr. Marburg 1901.

Bonnet = Max Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours. Paris 1890.

Brambach = W. Brambach, Die Neugestaltung der latein. Orthographie. Leipzig 1868.

Buecheler = F. Buecheler, Grundriss der latein. Deklination. Herausgeg. von J. Windekilde. Bonn 1879.

Carnoy = A. Carnoy, Le latin d'Espagne d'après les inscriptions. In „Le Muséon", N.S. II—VI. Louvain 1901—05.

Corssen = W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache.[2] Leipzig 1868—70.

Diehl = E. Diehl, De M finali epigraphica. In Jahrb. f. class. Philol. XXV. Suppl. (1899) p. 1—327.

Eistert = Carolus Eistert, De vocum Graecarum apud poetas Latinos a fine quarti usque ad sexti p. Chr. n. saeculi finem usu. Diss. Vratisl. 1913.

Georges Wtf. = Georges, Lexikon der lateinischen Wortformen. Leipzig 1889—90.

Gröber = G. Gröber, Vulgärlateinische Substrata romanischer Wörter. ALL I—VI.

Hehl = Albert Hehl, Die Formen der lateinischen ersten Deklination auf Inschriften. Diss. Tubing. 1912.

Heraeus = Wilhelm Heraeus, Die Sprache des Petronius und die Glossen. Progr. Offenbach 1899.

E. Hoffmann = Ernst Hoffmann, De titulis Africae latinis quaestiones phoneticae. Diss. Vratisl. 1907.

Jeanjaquet = Jules Jeanjaquet, Recherches sur l'origine de la conjonction „que" et des formes romanes équivalentes. Thèse. Neuchâtel 1894.

Konietzny = Guilelmus Konietzny, De idiotismis syntacticis in titulis latinis urbanis (CIL Vol. VI) conspicuis. ALL XV (1908) p. 297—351.

Körting = Gustav Körting, Lateinisch-romanisches Wörterbuch.[3] Paderborn 1907.

Lindsay = W. M. Lindsay, Die lateinische Sprache, Übersetzung von H. Nohl. Leipzig 1897.

Löfstedt = Einar Löfstedt, Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae. Uppsala 1911 (Arbeten utgifna med understöd af Vilhelm Ekmans Universitetsfond IX).

Löfstedt Beiträge = Einar Löfstedt, Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität (Uppsala Universitets Årsskrift 1907). Stockholm 1907.

Meyer-Lübke = Wilhelm Meyer-Lübke, Grammatik der romanischen Sprachen. I. Lautlehre. Leipzig 1890. II. Formenlehre. Lpz. 1894. III. Syntax. Lpz. 1899.

Mohl = F. George Mohl, Introduction à la chronologie du latin vulgaire (Bibliothèque de l'école des hautes études 122. fasc.). Paris 1899.

Neue = Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache.[3] von Wagener. Leipzig 1902—1905.

Pirson = Jules Pirson, La langue des inscriptions latines de la Gaule. Bruxelles 1901 (Bibliothèque de la faculté de philosophie et lettres de l'université de Liège).

Poukens = I. B. Poukens, Syntaxe des inscriptions latines d'Afrique. Le Musée Belge XVI (1912) p. 135—179. 241—288.

Proskauer = Carola Proskauer, Das auslautende -s auf den lateinischen Inschriften. Strassburg 1910.

Rönsch = H. Rönsch. Itala und Vulgata.[2] Marburg und Leipzig 1875.
Scheifler = H. Scheifler, Quaestiones Commodianeae. Diss. Vratisl. 1908.
Schuchardt = H. Schuchardt, Der Vokalismus des Vulgärlateins. Leipzig 1866—68.
Seelmann = Emil Seelmann, Die Aussprache des Latein. Heilbronn 1885.
Sievers = Otto Sievers, Quaestiones onomatologicae. Acta societatis philologae Lipsiensis. Tomi II. fasc. I. Lips. 1872.
Skutsch = F. Skutsch, Forschungen zur lateinischen Grammatik und Metrik. I. Plautinisches und Romanisches. Leipzig 1892.
Solmsen = Felix Solmsen, Studien zur lateinischen Lautgeschichte. Strassburg 1894.
Sommer = Ferdinand Sommer, Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre. Heidelberg 1902.
Stolz-Schmalz = Lateinische Grammatik von F. Stolz und J. H. Schmalz.[4] München 1910 (= Iwan Müllers Handbuch II 2).
ThLL = Thesaurus linguae Latinae.

Alii libri in contextu proferentur.

Signo [+] titulus christianus, [c] carmen significatur. Numerus tituli numero additus, nisi aliud commemoratum est, annum indicat post Christum natum. Asterisco tituli numero praeposito significatur titulus publicus.

Florere videntur temporibus nostris studia epigraphica ad latinitatem vulgarem pertinentia. Dum his titulis, qui Corporis Inscriptionum Latinarum volumine octavo et quibusdam aliis inscriptionum Africanarum collectionibus in fontium indice supra enumeratis continentur, deditus quaestiones instituo morphologicas, ut, qualis sit sermo Africanus, cognoscam, simul prodeunt dissertationes Alberti Hehlii [1]) et Arminii Bindelii [2]) partiunculam morphologiae eandem tractantes.

Alia autem erat horum virorum via, alia erit nostra; illi enim paucas e multis sermonis plebei proprietatibus ex omnium imperii Romani provinciarum titulis amplexi singulis formis notatis cum nihil nisi id unum agere deberent, ut, quomodo ortae esse possent, considerarent, ego quidem alios locos satis multos afferam, quibus essetne sermo Africae provinciae proprius necne demonstretur.

Itaque ad singulas formas locos simillimos adnotare semper studebam; non vero me ubique fontes ipsos adire potuisse consentaneum est. Maiore enim sunt amplitudine quam quos omnes perlegere potuerim. Et supervacaneus tantus labor erat. Nam studia sermonis vulgaris, quibus et viri linguarum classicarum quae dicuntur peritissimi et homines recentioribus linguis docti pariter studiose incumbunt, satis magnum tulerunt librorum numerum, quibus inscriptiones et libri manu scripti sagacissime excutiuntur.

E recentioribus libris praecipue Pirsonis et Carnoyi de Galliae et Hispaniae latinitate quaestionibus cum magno fructu me usum esse profiteor; nec non Francisci Neumanni tabellae

---

[1]) Die Formen der lateinischen ersten Deklination auf Inschriften. Diss. Tubing. 1912.

[2]) De declinatione latina titulorum quaestiones selectae. Diss. Ien. 1912.

orthographiam provinciae Galliae enumerantes [1]) mihi usui fuerunt. Horum igitur maxime libros, cum Africanas inscriptiones cum aliis contendere opus erat, sub linea adnotavi; neque vero occasione data Corporis voluminum indices eadem de causa perscrutari neglexi.

Accedunt fontes sermonis vulgaris, qui libris scriptis continentur virorum vel propter eruditionem vernaculam et plebeiam vel propter sequiorem aetatem sermone corruptiore utentium. Itaque in adnotationibus saepius e magno numero librorum, qui de scriptorum latinitate agunt, nonnullos eligere placebat velut Maximiliani Bonnetii de Gregorii Turonensis sermone librum, Hermanni Roenschii de Italae et Vulgatae latinitate, Guilelmi Heraei de Petronii sermone, alios. Simul hic notandae sunt vastae locorum collectiones, quae Corssenii et Schuchardtii operibus continentur.

Quibus exemplis cum satis copiose demonstretur formas enumeratas in usu fuisse sermonis vulgaris, interdum tamen difficultas quaedam exsistet. Saepissime enim in titulorum scriptura haesitantes dubitabimus, utrum forma, in quam incidimus, vere sit sermonis proprietas an compendium a lapicida insolenter adhibitum vel nihil nisi scripturae mendum. Etiamsi forma similis in alio titulo nobis occurret, certo diiudicare non semper poterimus. Tum unum nobis restat auxilium, quo usi ad finem perveniamus: linguae Romanenses, quid de Latinae formae natura doceant, consulendae erunt. Itaque quoad fieri potuit, quae formae secundum sonorum leges quae dicuntur fundamentum existimari possunt vocum Romanensium, ad eas hodiernam formam adnotavi, cum hac illae fulcirentur.

Sed haec hactenus de via ac ratione dissertationis componendae. Iam de titulis Africanis quaestionem instituturi meminimus virorum doctorum, qui hucusque iisdem studiis operam navaverunt. Ac primus quidem Carolus Guilelmus Moeller inscriptionum Africae provinciae orthographiam Renieri editione nisus tractavit [2]). Successit Maximilianus Hoffmann [3]), qui indicem

---

[1]) Franz Neumann, Verzeichnis der auf Aussprache und Rechtschreibung bezüglichen Eigentümlichkeiten in den Inschriften aus Gallia Narbonensis. Progr. des k. k. Staatsgymnasiums in Pola. Triest 1897, 1898.

[2]) Titulorum Africanorum orthographia. Diss. Gryphisw. 1875.

[3]) Index grammaticus ad Africae provinciarum Tripolitanae Byzacenae Proconsularis titulos Latinos. Diss. Argentor. 1878.

grammaticum instituere coepit, sed infectum reliquit. Tum Bernhardus Kuebler esse aliquam Africitatem ratus opinionem praeiudicatam ex Africae titulis illustrare studuit [1]).

Interea cum aliarum provinciarum inscriptiones explorari coeptae essent, Ernestus Hoffmann [2]) diligentius de titulis Africae Latinis quaestiones phoneticas scripsit; et nuperrime I. B. Poukens [3]) et Lotharus Friese [4]) de titulorum syntaxi quaestiones instituerunt. Eodem fere tempore Franciscus Zitzmann [5]) adnotationibus phoneticis et perpaucis morphologicis ad CIL VIII. supplementum I. voluminum priorum indices continuare studuit.

Restat ut morphologiae proprietates diligentius inspiciamus. Sed iterum haerebimus in dubitatione, quidnam sit morphologia. Neque enim facile eius fines subtiliter discernere poterimus a phonetica neque a syntaxi, quibuscum confinio quodam cohaeret. Ut phonetica maximi momenti est ad linguam deformandam, ita syntaxi corrupta vocum formae non iam usum antiquum reddunt. Quae omnia si morphologiae nomine tractare vellemus, mox cogeremur incepto desistere victi. Neque enim modo E. Hoffmanni fines ingrederemur, sed etiam ipsi iisdem rebus usque repetitis, quae sub alio conspectu rectius et facilius tractantur, legentium patientia nimis abuteremur. Itaque satis habebo in unaquaque paragrapho eos ad ea opera, quae de phonetica sunt, breviter delegasse et explicationibus longioribus sepositis formas insuetas tantum enumerasse. Neque omnes enotavimus formas, quae primo obtutu ad nos videntur pertinere, re autem explorata syntaxi corruptiori tribuendae sunt.

Iam priusquam ad argumentum ipsum aggrediamur, de quibusdam rebus phoneticis, ne postea saepius occurrentes diutius nos morentur, verba facienda videntur.

---

[1]) Die latein. Sprache auf afrikanischen Inschriften. ALL VIII (1893) p. 161.

[2]) De titulis Africae latinis quaestiones phoneticae. Diss. Vratisl. 1907.

[3]) Syntaxe des inscriptions latines d'Afrique. Le Musée Belge XVI (1912) p. 135 sqq. et p. 241 sqq.

[4]) De praepositionum et pronominum usu qui est in titulis Africanis Latinis. Diss. Vrat. 1913.

[5]) Grammatische Bemerkungen zum ersten Supplementband des achten Bandes des Corpus Inscriptionum Latinarum. Progr. Karlsbad 1907. Prachatitz 1909, 1910, 1911.

Caput I.

De quibusdam rebus phoneticis ad morphologiam spectantibus.

§ 1.

1. De *M* finali, quae quare creberrime in omnibus omnium declinationum coniugationumque formis decidisset, E. Diehl in commentatione quae inscribitur „de *M* finali epigraphica“ accuratissime quaesivit, non pluribus mentionem faciemus. Neque *S* finalis sors, cum Carolae Proskauerae liber nuper prodierit, diutius nos detinebit.

§ 2.

2. De *ae* dipthongo passim in *e* mutata in gen. dat. sing. et nom. plur. declinationis I. verba facere supersedeo; rarius *e* finalis terminationum voc. sing. decl. II., abl. sing. III. et V., imper. pers. II. sing. et plur., adverbii in *-ae* scriptura inversa quae dicitur transiit; ea exempla E. Hoffmann p. 55 collegit, quibus haec addas:

in pacae 12120 [+]. 16806 [+]. *in pagae* Uchi Maius 162 [+]. *aerae* 14769. *piae* (adv.) 12186. 12656. 17294. *fiae* = *piae* 11238.

§ 3.

3. Iam de *ii* vocalibus in *ī* contractis verba facienda sunt; neque enim in nominibus propriis vel appellativis et in casibus omnibus usus idem erat. Facilius autem quam multis verbis quae ratio intercesserit inter singulos casus nominave singula, hac tabula demonstrabitur:

	dat. abl. plur. decl. I. II.		gen. sing. decl. II.		nom. plur. decl. II.	
	contrah.	non contr.	contrah.	non contr.	contrah.	non contr.
Nomina propria	7	27	1335	61	43	59
appellativa	408	112	156	59	189	23
adiectiva	8	30 (6 *piis*)	13 (12 *pi*)	4 et insuper 13 *patrii* et semp. *pii*	3	5 (*pii*)

Videmus igitur, id quod Neue I p. 134 de contractionibus in libris repertis dixit, nominum propriorum diutissime servatum esse genetivum singularem contractum, etiam in inscriptionum consuetudine valere [1]); sed nominativi pluralis forma praefertur non contracta, et nomina propria ita distinguuntur ab appellativis velut *fili* — *Aemilii* 12 110 vel nominativus pluralis discernitur ita a genetivo singulari velut *Iunii* (plur.) — *Iuni* (sing.) 11 673; quin etiam nomina non in *-ius* cadentia duas *-ii* sumunt, ut pluralitatem significent velut *Servaeii* 237. *Fortunatii* Dessau 3368 [2]).

Nomina autem appellativa in omnibus casibus formam contractam potius exhibent; adiectivorum, quae semper fere praebere formam non contractam Sommer § 204, 2 (p. 369) affirmat, pauciora occurrere exempla *i* geminatae inde explicatur, quod brevis est sermo lapidarius et exceptis certis formulis adiectivorum ornamento caret.

§ 4.

4. Restat ut de „attractione formali“ quam dico pauca disputemus. Nusquam enim adhuc haec res longiore expositione digna videtur putata esse. Sunt sane viri docti [3]), qui recte intellexerunt vocis formam interdum verbo insequenti affici; quanti autem res sit momenti ad inscriptionum (et codicum) lectiones recensendas, non ita liquet. Itaque hoc loco nonnulla exempla ex titulis sumpta afferamus, ne postea formas vocum explicantes erroribus implicemur.

Meringer et Mayer in libro qui inscribitur „Versprechen und Verlesen“ (Stuttgart 1895) p. 51 afferunt exempla e nostra lingua petita terminationum insequenti exitu affectarum. Sed haec exempla, quae in ore hominum eruditorum nihil sunt nisi lapsus linguae, in sermone vulgari tum maxime apparent, si

---

[1]) Vide etiam Brambach p. 188 sqq. Corssen II p. 703 sqq. Buecheler §§ 176—178 (p. 71 sq.) Pirson p. 116 sqq.

[2]) Alia exempla collegit W. Weissbrodt, Einfaches und doppeltes i in den casusendungen. Philol. XLIII (1884) p. 450 sqq.

[3]) Appel p. 13. Stolz-Schmalz, Syntax § 41 (p. 345). Körting, Der Formenbau des französischen Nomens. Paderborn 1898 p. 144. Proskauer p. 119. Poukens p. 147, qui erravit in explicandis titulis 2706. 8559. 9385. 2389 (p. 176).

aevo labente lingua deformatur et corrumpitur. Tum terminationibus inter se aequatis vel assimilatis exitus vocum propinquarum facile permutantur. Cuius rei testis est Augustinus, qui tum maxime, cum adiungat verba similia, incertiorem se fieri dicit[1]).

Ita factum est ut lapicidae illi indoctissimi, qui neque orthographiae satis periti erant neque syntaxis leges sciebant, saepe inducerentur ut praecedentium vel insequentium vocum exitu mediam quoque terminarent, praesertim cum similiter caderent. Duo autem sunt attractionis genera:

a) Duarum vocum, quas casu congruere oportet, altera alterius terminationem, quamvis sit falsa, assumit:

*otim**i** sorori* 466; *soror**e** amantissime* 877 (cf. p. 927 et n. 12385); *pi**i** coniugi* (nisi per compendium scriptum est pro *pii(ssimae)*) 1923; *i(n) n(omine) patr**i** domini dei qui est sermon**i*** 2309 [+] (cf. 17795); *in temporibus Constantini imperator**i*** 2389 = 17822 [+ ante 647]; *coniugi sue [p]iissime rarissime incomparabil**e*** 3166 = 4237; *lector me**is** carminis* 5370 = 17497 = CLE 112, 7; *boni dulcissimi admirabil**i** pueri* 8559; *ego Casthe santimonial**e*** 10689; *uxori carissim**i*** 16420; *coniugi sue rarissime et incomparabil**e*** 18812.

Etiam alio modo explicari possunt hae formae:

α) Ad metaplasmum videntur spectare

*coniug**e** sue rarissime* 2210; *digne c[o]n[iu]g**e*** 2458; *Cassiae Dulc**ae*** 9052; *Tulliae Dulc**ae*** 9061; *bene . . meritae sacerdote publicae* 10580; *martur**e** Salvae Fortunae* 18002 [+]; *Peregrin**i** patri* (cf. *cum Peregrine* ibid.; *Aemilia Peregrinis filia* 15912) 21553 [434]; *Faru cadant, Croceu cadant, Elegant**u** cadant, Pancratiu* Audoll. 275, 7 [II. saec.]; *Eolu, Oceanu, Eminent**u** cadant* Audoll. 275, 16 [II. saec.]; *Paradu cadat, Elegant**u** Pucrina cadat* Audoll. 279, 9.

β) Genere permutato ortae esse possunt formae

*iugum coniugale**m*** (metro obstante) 5030 [c]; *Kastellum Vanarzanense**m*** Cagnat 03, 94 [240/4]; *omne**m** remedium,*

---

[1]) Epist. III 5.

omnem flacterium, omnem tutamentum, omnem oleum libutorium Audoll. 250 a; *in omnem proelium* (bis) Audoll. 250 b.

γ) Syntaxi corruptiori tribui possunt et tribuuntur a Carola Proskauera p. 132

pro salute . . Septimi Severi . . adnepoti *2437 [199] = 17940; *Maximi fortissimique principi iuventutis* *2706 [198/210]; *M. Antoni[ni pii Germ]anici Sarmati[ci fil. Divi] Commodi fratri* *5699 [197]; *M. Aurelii . . Divi Severi . . fili, divi M. Antonini Pii Germanici Sarmatici nepoti, divi Antonini* . . . *6303 [213]; *L. Septimi . . . Pertinaci* (propter exiguum spatium?) *10868; *Brittannici Maximi patri patriae Severi* *10894 = *20153 [204/5]; *divi Hadriani pronepoti divi Traiani* *15383 [180,92]; *Aureli Antonini . . fortissimi felicissimiq. pr. patri patriae* *19693, 24 [205]; *pro salute . . [A]ntoni Gor[d]iani . . pontifici maxi* *21559 [III. saec.].

Quibus in enuntiatis duae constructiones contaminatae esse possunt, cum persona, cui titulus positus est, aut casu dativo nominetur aut casu genetivo a *pro salute (et incolumitate)* pendeat.

δ) Non dubii sermonis esse, sed mendo lapicidae tribuendas puto formas

patri pisimi merenti 4540; *Crescenti Silvani militi* 9385; *Severo Pio Pertinaci Arabici Azabenici Partico* *22566 [193/211]; *Severo Pio Pertinaci Arici Azabensi Partico* *22567 [198].

Omnino non videtur, qui titulos 22566 et 22567 insculpsit, linguam Latinam intellexisse.

b) Duarum vocum inter se disiunctarum, quas casu congruere oportet, altera casu sequitur vocabula propinqua, quae attractio plus valet ad syntaxis proprietates:

C. Vettio . ., filio Vetti . . quaestoris [kandid]ati, nepotis C. Vetti Sabini 823 [242?]; *pueris a tribus annis* *1641 b 6 [161/7]; *C. Iulius . . donis donatis torquibus et armillis* 5209; *Hisce locis Flori requiescunt ossa sepulta Aetatis primae miserando funere rapto* 8870 [c]; *Primosa bonae memoriae feminae* 9065; *post septuagesimo numero tempus* (?) 11597; *in aere inciso* (pro *incisum*) 14464 ad *10570, 3, 14 [180/3]; *P. Septimio . . patri imp. Severi Aug. piissimi fili Maximi Principis avi imp. sanctissimi* . . . *19493 [post 198].

Quibus praemissis iam ad res morphologicas ipsas progrediamur et proximo capite agamus de declinationum proprietatibus.

Caput II.

De declinatione.

A. De casuum formatione.

I. De declinatione prima.

§ 5.

a) de nominativo singulari.

α) Nomina Graeca invenimus permulta in *-e* desinentia [1]: *Afrodite* 4018. *Agape* 9455=20956. *Alche* 12987. *Arachne* Cagnat 08, 15 [c]. *Astorope* 21335. *Atalante* 12620. *Auge* 937=11216. 1967=2101=16620. 5603. 12067. *Cale* 12926. 12972. 12973. 13534 [+]. *Calliste* Dessau 8529 a. *Caliste* 17761. *Calliope* 213, 5. 13237. 18917. *Chreste* 5746. *Chryse* 22645, 98. *Cryse* 22645, 97. *Cloe* 9441. *Cresime* 7205. *Danae* 7770. 13003. 22645, 480 [c]. *Daphne* 7376. *Ecate* 10532=12754. *Ecloge* 7483. *Eudemosine* 16929. *Eufrosine* 11070. *Exoche* 8054. *Gamice* 12775. *Ge* 7609. *Glafriane* 1523=15539. *Glauce* 1974. 11985. *Gyele (?)* 14170 [+] *Hagne* 7630. *Haline* 12951. *Helice* 21274. *Hippolithe* 10533 (bis). *Irene* 1091 [+]. 4896. 7495. 12767. *Karpime* 9524. *Lale* 9497. *Lethe* 12792 [c] = CLE 1187. *Meletine* 19565. *Merope* 334. *Mirsine* 8143. *Muse* Cagnat 03, 355. *Nape* 12984. *Nice* 1699. 2823. 10531=13229. 16148. 19607. 22641, 2. *Niche* 22644, 237. *Aristonice* 2621. *Filonice* 2762. *Miron*[*i*]*ce* 17274. *Stratonice* 18787. *Nine* 17245. *Nymphe* 12721. *Nimpe* 12813. *Onesime* 7568. *Parthenope* 19639. *Phiale* 21088. *Philumene* 9447. *Filomene* 17220. *Phoebe* 13096. *Practice* 19958. *Rhodope* 8833. *Selene* 11969.

---

[1]) Pirson p. 128. Carnoy V p. 360. Hehl p. 5 sqq. Bindel p. 8 sq. Eistert p. 25 sq.

21249. *Seline* 7287. *Silene* 20425 d. *Sponde* 16211. *Stacte* 999. 9496. 10478, 38. 22644, 314. *Trepte* 5254. *Trophime* 7843. 8066. 13161. 20082. *Tyche* 4138. 5248. 9787. 12641. 13148. 21324. *Tyce* 12737. *Tice* 3158. *Fhyge (?)* 15608. *Fhiyce* 12943. *Eutyche* 1953. 8281. *Eutice* 9430. *Caletyche* 12699. 12941. *Callityche* 7317. *Cale[th]ice* 12707. *Poletice* 13097. *Syntyche* 7962. *Zoe* 3935. *Zosime* 1666. 3963. 13170. 18447. *Sosime* 12827. Eodem pertinet alia scriptura *Atticae* 21204 [1]).

β) Alia nomina Graeca exitum Latinum assumunt [2]) velut *Anthina* 8314. *Antigona* 1027 [II. saec.]. *Cala* 16078. 16979. *Gala* 15915. *Callista* 17541. *Chresima* 3929. *Hermiona* 1483. 5422. *Lala* 1906. *Melitana* 16196.

γ) Neque mirum est in illa terra bilingui [3]) Latina quoque nomina more Graeco in *ē* terminari; prima autem nomina in *-ana* exeuntia hac terminatione usa esse verisimile est, cum similis suffixi ope formarentur atque Graeca in *ανή* cadentia [4]):

Clodiane 359. *Datiane* 4615. *Iuniane* 5260. *Primiane* 2819.

Quod exemplum alia nomina secuta sunt:

Aemerite 16581. *Casthe* 10689 [+]. *Cornelie* 18970. *Cyrte (= Curie?)* 11551. *Donate* 16335. *Pauline* 11083 [+]. *Pusinne* 5392. *Rogate* 11484. *Secure* 371. — *Ceciliae Paulinae* 2038.

Nomina autem appellativa et adiectiva an eodem exitu terminari potuerint, mihi dubium est, cum exempla adhuc prodierint parum certa. Semel legimus *coniuge* 20551 in titulo corruptiore; *rarissime* 8854 vocativi loco usurpatum (*coniunx rarissime quae*) vel exitum duxit masculinum vel attractione formali ortum est vel, id quod Hehl p. 6 proponit, adverbium est. Adiectivum *Salditane* *2728, 2 [ca. 152] nomina propria in *-ane* cadentia secutum esse patet. *Sittie* 7788 mendo quadrata-

---

1) Hehl p. 5. Carnoy II p. 165. V p. 562.

2) Bindel p. 10 sqq. Eistert p. 26.

3) Cf. CIL VIII 8500 [229]: *M. Damatius Urbanus . . . utriusque linguae perfecte eruditus.* — Quantum valuerit lingua Graeca in Africa, breviter exponit Audollent, Carthage Romaine. Paris 1901 p. 701 sqq., et uberius disserit W. Thieling, Der Hellenismus in Kleinafrika. Lips. 1911.

4) Hehl p. 6. — Pirson p. 131. Carnoy V p. 361. Hehl p. 5 sq. Bindel p. 8 sq. Neue I p. 75.

rii tribuendum esse verisimile est, cum ceteri omnes eiusdem aetatis tituli rectam formam *Sittia* praebeant; item *sobriae* 20277 [299 c] nihil nisi mendum est. Sed *tribuniciae potestas* 10007= 22058. 22066. 22081. 22089 [250/1] contaminatione effectum est ex *tribuniciae potestatis* + *tribunicia potestas*, quarum formarum utraque saepe reperitur [1]).

δ) Accedunt nonnulla nomina Punica in *-e* exeuntia:

Mababme (?) 3081 = 18301. *Muthune (?)* 17702. *Namgedde* 4906. 4907. 9199. 10684. 11836. 12324. *Nagede* 20556. *Namgidde* 6529. 17659. *Namgide* 15794 (*Namgidi* 15785). *Namphame* 1618 = 15748. 11696. 14644 c. 14708. 16988. 17299. *Nampame* 1529. 5169. 8232. 10563. *Napame* 16943.

ε) Nomina propria Graeca generis masculini declinationis primae aut terminationem servare docent grammatici Latini [2]) aut exitu Latino *-a* uti, ut ratione inversa lingua Graeca nomina Latina in *-a* exeuntia saepe in *-ας* terminavit [3]). Haec autem inveni exempla:

1. *-as* servatur:

Anibas 9277. *Ceras* 11994. *Chereas* 21185. *Cinnas* 12703. *Hermias* 2763. 2782. 2823. 3014. *Hyas* 9482. *Philocomas* 9507. *Thoas* 12901.

2. *-ας* in *-a* mutatur:

Alexa 12893. *Anta* 9430. *Anthina* 8314. *Apolla* 4580. *Arpocra* 2792. *Artema* 12934. *Ascla* 2554, b, 12. *Dama* 3567. *Epaphra* 1791. *Eutycha* 5236. 13015. *Heracla* 13571. 21025. *Eraclida* 7396. 20978. *Herma* 1028. 7539. 7628. 12770. *Prusia* 18084. *Pythagora* 5164. 5168. 12655. *Zena* 9345.

§ 6.

b) de genetivo et dativo singulari.

α) Genetivi et dativi casus nominum propriorum, appellativorum, adiectivorum in *-ai* exeuntes vel sermonem antiquum imitantur vel, cum sermone Graeco aetatis sequioris dipthongum

---

[1]) Exempla attulit C. Proskauer p. 146.

[2]) Neue I p. 57 sqq. grammaticorum testimonia collegit.

[3]) Cf. Wessely, Die lateinischen Elemente in der Gräzität der ägyptischen Papyrusurkunden. II. Wien. Stud. XXV (1903) p. 72. — Eistert p. 22 sqq.

-*αι* pro -*e* pronuntiatum esse constet [1]), scriptura Graeca utuntur; sed de hac re non diiudicatur, quod tituli certae aetati tribui non possunt [2]):

sodalai 3762. *Victorinai* 6235. *Victorinai coniugi meai* 21526. *carissimai* 7219. *Iuliai Quetai* 7819 (in eodem titulo cum etiam *filiae dulcissime* legatur, omnis aetatis gradus simul apparent). *Domitiai Honeratai, D. Rusticai* 9462. *Eliai Sgesai (?)* 9818. *maritai* 9842. *dulcissimai* 9882. 21526. [*Fo*]*rtunai* 10545. *piai* 11488. *provinciai* 15878. *Rogatai Aletiai* 16638. *filiai* 16645. *fililiai* 20612 [237]. *filiai* . . [*Ma*]*rcianai* 21670. . . . *ntai Blandai* 19539. *suai* 19635. 21714. *Crementiai* 19643. *piissimai* 20384 (? cf. 8518). *Meviai Rogatai* 20593. *Tabitai (?) suai* 21102.

β) Neque autem iam titulorum Africanorum temporibus genetivi et dativi singularis terminatio dipthongi sonum -*ai* vel -*ae* habebat, sed in -*e* transibat, ut comprobatur exemplis pluribus quam quae hic enumerari possint.

γ) Genetivi casus exitu Graeco formati in compluribus titulis leguntur [3]):

Asicianes *1495 [195/261]. *Etices* 3597. *Ilares* 16375. *Missunes* 15779. *Philumenes* 21160. *Saturnines* 15791. *Σεπτίμες* Audoll. 270, 13 [II. saec.]. *Sissonies* 15779.

alogies 20334. *publices (?)* *1783 [371].

Huius terminationis alia videtur esse scriptura -*is*:

Misinis 8292 add. [+] (= *Missunes* 15779?).

Ne -*aes* quidem exitus primo obtutu maioris momenti videtur esse, cum, ut saepe *ae* dipthongus simplici vocali *e* reddatur, scriptura inversa pro -*es* appareat -*aes* scriptum esse; itaque hunc exitum a lingua Graeca originem ducere existimaverunt Buecheler § 165 (p. 65), Stolz § 202 (p. 209) [4]), Lindsay p. 436, Sommer § 192 (p. 354), Proskauer p. 124. Sed si numerum exemplorum Romae repertorum et Italicorum cum

---

[1]) F. Blass, Über die Aussprache des Griechischen [3]. Berlin 1888. p. 62 sqq.

[2]) Hehl p. 10 sqq., 25 sqq. Bindel p. 33 sqq. Pirson p. 18. Carnoy II p. 166 sq.

[3]) Pirson p. 129. 131. Carnoy II p. 165. V p. 360 sq. Proskauer p. 124. Hehl p. 16 sqq. Bindel p. 22 sqq. Eistert p. 43 sq.

[4]) Histor. Gramm. d. latein. Sprache I. Lips. 1894.

provinciis comparamus, facere non possumus quin cum A. Hehlio p. 23 et A. Bindelio p. 18 consentiamus hanc terminationem vere esse Italicam; quomodo autem orta sit, nondum mihi soluta videtur quaestio. Hehl *-aes* terminationem contaminatione exitus Latini *-ae* et Osci *-as*, Bindel contaminatione exitus Latini *-ae* et Graeci *-ης* effectam esse putat; neque autem facile, quamquam tituli sunt hominum ordinis inferioris, linguam Oscam tum temporis tantum valuisse concedimus, priusquam certiora argumenta proferantur, neque, si terminatio Graeca est, cur in ipsa Italia tot prodierint exempla, tam pauca in Africa provincia a Graecis non minus habitata, perspicimus. Quae cum ita sint, magis mihi arridet sententia, quam Elias Lattes protulit in libro qui inscribitur: Le iscrizioni paleolatine. Milano 1892. Is vir doctus p. 47 genetivos in *-aes* (*-es*, *-ais*, *-as*) desinentes non e genetivis Graecis sumptos, sed, cum iam antiquissima aetate in usu fuerint, vi linguae Graecae servatos esse censet; idem genetivos Etruscos affert in *-aes* exeuntes, ut iam Buecheler § 164 (p. 65 sq.) *-aes* terminationem creberrimam esse in titulis Etruscis a Gorio editis vidit. Videtur igitur exitus, undecunque est ortus, vere esse Italicus. Haec autem *-aes* terminationis repperi exempla Africana [1]):

Helenaes 9347. *Victoria*[*e*]*s* 20600 [+ 259]. *Faustinaes* 22632, 5. *alaes (?)* 6707 [2]).

Pro *-aes* terminatione more Graeco [3]) *-ais* quoque scribi potuisse non sine veritatis specie mihi est:

Dativais 20301 [+ 349]. *Saguntinais* 20301 [+ 349]. *Sabinais* 8292 [+]. *Urbanais* 8706 [+]. *Donatais* 10929 = 20476. *Elbiais* (= *Helviaes*) 22644, 90. *Gadais* 11307.

Sed cum haec terminatio perpaucis titulis exceptis [4]) nisi in Africa provincia non occurrat, Hehl et Bindel alia explicatione opus esse rati hic neglegentiae lapidariorum, ille linguae cuidam barbaricae has formas tribuit. Tamen, si omnes inscriptiones supra citatas eiusdem regionis esse viderimus,

---

[1]) Pirson p. 131. Carnoy V p. 360. Hehl p. 19 sqq. Bindel p. 12 sqq.

[2]) *alaes . . . narias* mihi plane incertum est. *Quingenarias*, quod nomen in indice VII E (p. 1076) suppletum est, spatium egreditur. (De *-as* exitu v. infra.)

[3]) Blass, Aussprache p. 62 sqq.

[4]) Hehl p. 8 sq. Bindel p. 30.

Mauretaniae orientalis vel Numidiae occidentalis, — excepta paenultima, quae cum sit in lucerna insculpta, origo statui non potest, — imitationem esse sermonis vel potius scripturae Graecae ab uno lapicida adhibitam sumere malemus.

δ) Sermonis antiquioris reliquias invenimus genetivum *(pater) familias* 9869 [+ 536], qui in hac formula semper servatus est[1]; sed Graeca terminatione utuntur[2])

Neaspoleos *8934 [II. saec.]

et nomina Latina

Postumias 9016 [235][3]). *Sextiklas* 21517 [+ 329]. *Domitias* 21554 [+][3]). *Saturas* 21427 [+]. *Donatas* 9273. *Paulas* 9430. *Floras* 17560. *Sosirias (?)* 22645, 470.

Quod in his vocibus, quamquam nisi post ε, ι, ϱ exitus *-ας* locum non esse constat, tamen semper *-as* adhibetur, dubitationem non habet, cum et lingua Graeca occidentalis ad illas formas valere potuerit et hodierna lingua Graeca in femininis in *-α* desinentibus ubique *-ας* substituerit terminationi *-ης*[4]).

Nomina autem barbara *Sicumas* 17542. *Selsumas* 17563 utrum ipsa quoque flexione Graeca utantur an, id quod vult Hehl p. 8, secundum linguam barbaram formata sint, in medio relinquo.

ε) *Faustini* 3422 casus dativus duas habet explicationes; aut per itazismum quendam *e* et *i* vocales permutatae sunt[5]) aut, cum *Faustini* dissimilatione syllabica ex *Faust⟨in⟩ini* ortum sit, declinationum illam permutationem habemus, qua feminina declinationis I. stirpe per *-in-* amplificata traducuntur in tertiam declinationem (cf. § 37 γ)[6]).

ζ) Inveniuntur nonnulli genetivi et dativi casus in *-a* desinentes; genetivi autem omnes non sermonis proprietates, sed alio modo explicari possunt[7]):

---

1) Bonnet p. 332. Hehl p 7. Bindel p. 30.

2) Pirson p. 119. Hehl p. 7 sq. Bindel p. 29 sq.

3) Has formas genetivos esse recte iudicavit Diehl p. 31.

4) A. Thumb, Handbuch der neugriechischen Volkssprache². Strassburg 1910. p. 50.

5) Hehl p. 35. Bindel p. 46.

6) Hehl p. 34.

7) Hehl p. 9 sq. Bindel p. 31 sqq.

pudicitia 1978. *Iulia Cita Epapra* 21086 verborum conformatione plane corrupta effecta esse apparet; et *(corpus) clarissima femina* 8192 = 19914 non genetivum, sed nominativum esse Löfstedt p. 326 demonstravit.

Codra. Alurusa 11309. *Iuba* 21086. 21087 ut nomina barbara videntur esse indeclinabilia.

Seneca 19128 potest secundum genetivum Graecum Σενέκα vel Σενεκᾶ [1]) formatum esse.

Aliter res se habet in casibus dativis; quorum quamquam nonnulli explicationem habere possunt in constructione corrupta vel in tituli spatio exiguo [2]), tamen maior numerus interpretatione satis idonea eget, nisi cum K. Meistero [3]) terminationem casus dativi *-a* proprietatem sermonis vulgaris fuisse volemus. Exempla autem in Africa reperta sunt haec:

Priscula 3676. *Ingenua* 4148. *Flavia Sura* 4268. *Aulurula* 21553 [+ 434]. *Lorida* 21682 [475].

§ 7.

c) de ablativo singulari.

α) De *m* falso adiecta et in hac declinatione et in ceteris vide Diehlium p. 295 sqq.

β) Semel nomen Romanum in *-e* terminatur ad analogiam casus nominativi more Graeco in *-ε* transformati [4]): *Marciane* 2640.

§ 8.

d) de nominativo plurali.

α) Ad hunc casum in *-e* pro *-ae* terminatum quadrat, quod de genetivo et dativo singulari supra dixi.

β) Unam autem hic invenimus formam tota latinitate adhuc unicam: *sportulaes* *9052 (iuxta *sportulae* ibidem), quam sculptoris caelo tribuendam esse ut *pueris* *1641 b, 6 [161/7], praesertim cum vocabulum insequens *universis* in *s* exeat (attr. form.?), veri similius est quam analogiam casuum nom.

---

[1]) Pape-Benseler, Handwörterbuch der griech. Sprache III.³ (Eigennamen). s. v.

[2]) Hehl p. 29 sqq. Bindel p. 31 sq. Konietzny p. 309.

[3]) „Altes Vulgärlatein". Indogerm. Forsch. XXVI (1910) p. 80 sqq.

[4]) Hehl p. 35 sq. Eistert p. 65.

plur. III. IV. V. declinat., gen. sing. in *-aes* pro *-ae* desinentis, nominat. plur. decl. I. in *-as* tantum valuisse ad illam formam, id quod C. Proskauer et Hehl[1]) statuerunt.

γ) Hic nominativus pluralis in *-as* desinens ideo maioris momenti est, quod linguae Romanenses exceptis Italiana et Romanica eum assumpserunt[2]). Ortus esse videtur ad analogiam accusativi pluralis, cuius analogiae causa fuit aequalitas nominativi et accusativi pluralis declinationum III. IV. V. et *m* finali detracta etiam nominativi et accusativi singularis declinationis I. Neque igitur permutationem tantum casuum agnoscemus, id quod voluit Konietzny p. 320, sed flexionis formationem plane novam et magna ad linguam transformandam vi[3]). Sequuntur formae in titulis Africanis repertae:

bis senas turres crescebant in ordine totas *5352 [539 c.]. *santas* 14902 [+]. *nuras* 2604. *filias* 3783. *Seiias* 9156. *sodalas* 18198 ad 3762 (cf. Ee VII 519). 21071. *reliquias* Cagnat 08, 155 [+].

§ 9.

e) de genetivo plurali.

α) Semel nobis occurrit genetivus pluralis in *-um* pro *-arum* cadens, qualis vel nomina Latina declinationis tertiae vel nomina Graeca genetivum pluralis in *-ων* terminantia secutus saepius in nominibus gentium reperitur[4]): *Num[id]um* 1359, 12 [260? c.].

β) *ecclesiaram* 2311 add. [+] mendum est assimilatione fortuita ortum eiusdem generis atque *eundum*, *eorundum* in titulis Hispaniae[5]).

---

[1]) Proskauer p. 191. Hehl p. 40. — Mohl § 87.

[2]) Meyer-Lübke II § 28 sqq. (p. 38 sqq.).

[3]) Hanc rem tractaverunt Mohl § 81 sqq., Scheifler p. 42 sqq., Meister, Idg. Forsch. XXVI (1910) p. 82 sqq. et multarum inscriptionum auctorumque locos laudaverunt, quibus quando hic nominativus vigere coeperit et quam late diffusus fuerit, illustratur. Alios locos afferunt Pirson p. 188 sqq. Carnoy V p. 351 sq. Konietzny p. 320. Hehl p. 37 sqq. Poukens p. 259.

[4]) Buecheler § 214 (p. 87). Bonnet p. 332. Neue I p. 34 sqq. Hehl p. 41. Eistert p. 47.

[5]) Carnoy III p. 23.

§ 10.

f) de dativo et ablativo plurali.

Cum hic casus inde ab aetate vetusta in *-abus* exiret ad genus masculinum et femininum distinguendum, quorumcunque duo genera internosci intererat, hac terminatione utebantur:

filiabus 870 [+] *1181 [III. saec.]. 4268. 8676. *9052 (bis). 9462. *deabus* (semper cum *dis* coniunctum) *2615 [260]. *4578 [283/4]. 6955. 8351. *8710 [239/42]. 9195. 9233 [239/42]. *9988 [296]. 10722. 20202. Cagnat 04, 70. *Cassiabus* *9052. *pupillabus* *9052. *libertabus* 9998. *caelestabus* 20744 [213].

Ad hanc analogiam alia quoque substantiva in *-abus* desinunt [1]):

feminabus 9108. *orabus (= horis)* 12794.

II. De declinatione secunda.

§ 11.

a) de nominativo singulari.

1. Ex aetate antiquiore *-os* terminationem praecedente *v* servaverunt [2])

Primitivos *18065 [162]. 3079. 12506. 14966. Cagnat 06, 121. Dessau 2452 = Ee V 1276. *servos* 12605. 12912. *vivos* 1523 b 14 = 15539 c [c]. 1994. 7999. 9057. 18629,

quamquam terminatio titulorum aetate semper per *u* pronuntiabatur; sed ii, qui tituli orthographiam statuerunt, aut sollemnitatem quandam antiqua forma appetebant aut auctoritate grammaticorum nonnullorum commoti, qui *u̯* consonantem et *u* vocalem etiam scriptura distingui volebant, *uu* geminas insculpere nolebant [3]).

2. Graecam servaverunt terminationem nominativi in *-os* exeuntes [4])

---

[1]) Pirson p. 115 sq. Carnoy V p. 339 sq. Hehl p. 41 sqq. Rönsch p. 265. Bonnet p. 331.

[2]) Brambach p. 87—101. Pirson p. 46. Carnoy II p. 138. Konietzny p. 322 sq. Neue I p. 105 sqq.

[3]) Grammaticorum testimonia collegerunt Brambach p. 97 sqq. et Solmsen p. 40 sqq.

[4]) Pirson p. 47. Eistert p. 8 sqq.

Aegyptos. Atropos. colossos. Pharos. 212, 30. 70. 82. 85. [ca. 150. c.]. *Zozimos* 1540.

More Graeco formatum est nomen Latinum in titulo litteris Graecis conscripto *Σεξτίλλιος Διονισίε φιλιους* Audoll. 270, 6 [II. saec.].

3. Nonnulli inveniuntur nominativi casus, quorum *u* vocalis eliditur. Quo in numero esse censeo

Mascel *18065, 13 b [162]. 7161. 20608 b. (*Masclo* 21169)[1].

Vernacel 10891,

cum *s* finalis litterae *l* assimilata sit. Sed de his vocibus non satis constat; neque enim absonae sunt a nominibus barbaris velut *Maccal* 9890. *Mascal* 9806. 9813. *Nuvel* 9255. *Nubel, regulus Maurorum* apud Amm. Marc. 29, 5, 2; et *mascelli mascello*, quamvis obscuro sensu, leguntur inter daemonum nomina in defixionis tabella Audoll. 251 b [II. saec.]: „*amestubal merteme perturacrim mascelli mascello frycentabaot zosagrac*". Tamen de vocibus Latinis *masculus* et *vernaculus* cogitare possumus, cum illud quidem nomen sermonis plebei proprium fuisse ex eo appareat, quod a grammaticis *mascel* pro *masculus* vituperatur[2]; atque alia invenimus exempla *u* vocalis per syncopam elisae et *s* finalis assimilatae velut *famul, debil* apud Ennium[3]. Itaque id mihi videtur verisimile esse, voces vere Latinas *mascel, vernacel* vi linguae barbarae in Africa maxime viguisse.

Huc accedunt nominativi in *-is* desinentes, de quibus E. Hoffmanni[4]) sententiam plane sequor. Manifestum est has formas aetatis posterioris nihil pertinere ad illos nominativos priscos, quos tractavit Fr. Ritschl in commentatione quae inscribitur „de declinatione quadam Latina reconditiore"[5]); immo referendae sunt ad nominativos Graecos nominum Latinorum in *-ις* cadentes velut *Ἰοῦλις-Iulius* Corp. Inscr. Graec. IV 7119. 8947. *Λοῦκις-Lucius* CIGr. III 4340 etc.; Graeci enim nomina Latina in *-ius*

---

[1]) Rönsch p. 525. Carnoy V p. 359; cf. Kuebler, ALL VII p. 594 sq.

[2]) App. Prob. 33: *masculus non mascel.*
Prob. Inst. art. 102, 13: *hic masculus et non hic mascel.*
Prob. de nom. exc. 211, 12: *masculus dicitur non mascel.*

[3]) Ann. 313 et 324 (ed. Vahlen²).

[4]) P. 13.

[5]) Opusc. IV p. 446 sq.

desinentia, quae casu vocativo eodem exitu essent atque Graeca in -ις, ipsa quoque in -ις terminabant ad analogiam vocativi [1]); ex hac consuetudine Graeca lapicidae in titulis eodem exitu utebantur [2]):

Valeris 20430 [244]. *Cladis (= Claudius)* *22430 [275/6]. *Maris* 13784 [+]. 13785. *Cidonis* 14819. *Crepereis* 3556. *Helis* 12497. *Helvis* (an *Helvi s(ervus)?*) 22644. *Ianuaris* 7751. *Ἰανουαρις* 21900. *Martis* 11158. *Nasidis* 6541. *Nudinaris* 17006. *Superis* 9639.

Etiam alia nomina *u* vocalem per syncopam e terminatione elidunt [3]):

Petronians 21496 [+]. *Febrars* 12588. *Florentians* 16153. *Maxims* 9386 = 21042. *Peregrins* 11680. *Place(n)tins* 9101. *Stephans* 21317. *Successians* 19960. *Sulpicians* 14687. *Vibians* 11568.

4. Nomina in -*i* desinentia ut puta *Calvari* 8637 [+ 527?]. *Ianuari* 8725 cum per compendium scripta esse putarem, non omnia enotavi; aliud autem nos docere videntur hae formae [4]):

C. Fufi Max(i)me vixit . . 2110.

L. Leli Silvane sacerdos Saturni votum solvit `2182.

Ubi cum nomina in -*i* exeuntia iuxta vocativos inveniantur, non dubium est quin ipsi quoque vocativi sint nominativorum loco usurpati. Aliter igitur fortasse de omnibus nominibus exitu *i* terminatis iudicabimus. Etiam cognomina reperiuntur exitu vocativi formata iuxta gentilia casu nominativo terminata velut

Salvidenius Maxime vixit 9820.

[*m*]*emoria Iulius Germane pa.* [*fam*]*ilie* 9870 [+].

Itaque mihi quidem satis certum videtur nomina terminatione vocativi posse exire etiam subiectorum vices gerentia. Quae res non abhorret a consuetudine linguarum indogermanicarum quae dicuntur [5]) maximeque in usu est dialecti Boeoticae [6]).

---

[1]) Hatzidakis, Einleitung in die neugriechische Grammatik. Lpz. 1892. p. 315 sqq. et Zeitschrift f. vgl. Sprachforsch. XXXI p. 112.

[2]) Pirson p. 127. Carnoy V p. 354. Mohl § 117 p. 281 sq.

[3]) Carnoy V p. 352 sq. Mohl § 80.

[4]) Proskauer p. 72 sqq.

[5]) Brugmann-Delbrück, Grundriss d. vgl. Gramm. d. idg. Sprachen. III § 189 p. 398.

[6]) Brugmann, Griech. Gramm.[3] 1903 § 436, 2. p. 377. — Itaque etiam

5. Nominativus et accusativus singularis neutrius generis et accusativus singularis generis masculini *o* litteram scriptura antiqua servaverunt[1])

post *v*: *aevom* 212, 58 [ca. 150 c.]. *novom* 17418. *parvom* 9508 [c].

post alias litteras: *cipom* *11687. *Οππιομ* Cagnat 03, 210 = Audoll. 267 (in tabella Graecis litteris Latine conscripta, cf. *αβρομπατουρ* = *abrumpatur* ibid.).

§ 12.

b) de genetivo singulari.

1. Genetivorum declinationis II. in *-is* desinentium, quos ad analogiam tertiae declinationis a nominibus in *-is* pro *-ius* exeuntibus ortos, tum in alia quoque nomina translatos esse censeo, unum reperitur exemplum[2]): *Peregrinis* 15912.

2. Graeco more videntur formati esse genetivi[3])

Epagathu 22632, 58. *Selidiu* 1048. — Dubium est *Cutaiu* 9637 (genetivus ad nominativum *Cutai* 9816 pertinens?).

§ 13.

c) de dativo, accusativo, ablativo singulari.

1. Qui casus omnes simul tractandi sunt, quia eorum formae plane confunduntur. Omnes enim, cum *o* littera in exitu obscurum sonaret et in *u* vergeret, *m* finalis autem detraheretur, similiter exibant[4]). Itaque non modo legimus

u pro *o*[5]): *animu* 20438 [222]. 2190. *die octabu* 21540 [+].

---

in senatus consulto de Bacchanalibus (CIL I 196), ubi nomina in *-ius* et *-i* cadentia simul leguntur, facile haec non compendiata, sed veros casus nominativos exitu vocativi formatos suspicabimur. Iam pridem viri docti duas formas esse hominum diversorum ordinum censuerunt et formam nominativi tributam esse nobilioribus, vocativi hominibus ortus inferioris. Cuius rei similem usum invenimus in lingua Polonica, ubi casus vocativus usurpatur a comius et urbanius loquentibus, casus nominativus pro vocativo, cum homo inferiore ortu appellatur (C. W. Smith, Gramm. d. poln. Sprache.² Berlin 1864 p. 183).

[1]) Solmsen p. 39 sq. — Pirson p. 46. Carnoy II p. 133. 344 sq.

[2]) Carnoy V p. 356 sq. Proskauer p. 123 sq.

[3]) Eistert p. 42.

[4]) Schuchardt II p. 94 sq. Corssen II p. 196. Diehl p. 241.

[5]) Pirson p. 41 sq. Carnoy II p. 133. 344 sq. Bonnet p. 127.

filiu nostru Iovinu 3899. *tauru* 2268; et *m* paragogica adiecta: *primipilum* 20996, 9 [III. saec],

sed etiam *o* pro *u*[*m*] [1]): *voto* 12286 [138/61]. Cagnat 04, 57. *vitulo* 15017 [II./III. saec.]. *Cosconio* Audoll. 220 a. *sepulcro* 21709. *solacio* 19606. *titum* (= *titulum*) *meo* 13134, 2. *titulo* 2088. *tumulo meum* 15716.

Accedit magnus numerus casuum permutationum, quae confusione constructionum praepositionum effectae in syntaxi tractatae sunt a Diehlio p. 12 sqq. et Friesio [2]) p. 5 sqq.

Si in titulo Cagnat *09, 152 [198/217] legimus *libente animo votuo exsolvit*, lapicida tantopere labasse videtur, ut a recta forma vi vocis praecedentis, quam eodem exitu pronuntiabat, seductus in falsam terminationem aberraret.

De formulis *se vivo*, *se vivum* aliis v. Ritschl opusc. IV p. 7 sq., Schuchardt III 90. 196, Rönsch p. 418 (qui perperam de hac re iudicavit), M. Hoffmann (Diss. Argent. 1878) p. 133, Diehl p. 205 sq., Konietzny p. 323 sq.

2. Accusativos in *n* exeuntes inveni duos:

Maurussun Audoll. 250 a (iuxta *Maurussum*). *sun* (= *suum*) *2557, 36 [203].

Haec forma, quae *u* priore detracta ex *suum* orta est (cf. § 30, 2), ideo maioris momenti est, quod omnium vocabulorum monosyllaborum *m* finalis in linguis Romanensibus in *n* transiit [3]).

§ 14.

d) de vocativo singulari.

1. Nomina in *-ius* cadentia casu vocativo in *-i* terminantur: *Constanti* *4764 [303] = *18698. *Arcadi* 10928. *Aufidi* 21541. *Dalmati* 2998. *Frumenti* 10946 = 21497. *Ianuari* 9142 [c]. *fili* 9080 [c]. *mi fili* 9691 [c].

2. *deus* casu vocativo dicitur ut nominativo:

domine deus 8621 [+]. 11269 [+]. *domine deus meus* 8622 [+]. *deus omnipotens* Audoll. 250 a.

Nominativus vocativi fungitur munere etiam in titulo 1523 b 15 [c]

---

[1]) Carnoy II p. 133.

[2]) De praepositionum et pronominum usu qui est in titulis Africanis Latinis. Diss. Vrat. 1913.

[3]) Meyer-Lübke I § 551 (p. 462).

Iulius, hoc peto nunc a te . . .
metro non poscente — id quod nonnumquam excusationem habet [1]) — cum nihil obstaret quin inciperet
Hoc, Iuli, peto nunc a te . . .

Id hoc quoque exemplo patet, ut ceterarum declinationum nominativus et vocativus casus similiter exierint, ita ad eam analogiam etiam alterius nominativum pro vocativo usurpatum esse [2]).

§ 15.

e) de nominativo plurali.

1. Nominativi plurales inveniuntur in *-os* formati eadem analogia qua nominativi declinationis I. in *-as*, tamen multo illis rarius [3]):

filios et nepotes salvos 7467. *cui filios et nepotes obitum fecerunt* 21540 [+]. *cui filios fec. dm. eter.* 21792 [458].

2. De *pueris* nominativo *1641 b 6 [161/7] idem valet, quod supra de *sportulaes* dixi (p. 14 sq.), veri esse simillimum per errorem lapicidae verbis proximis in *-s* exeuntibus inducti *s* additam esse [4]): *pueris a tribus annis.*

§ 16.

f) de genetivo plurali.

1. Aetatis superioris exitus *-om* post *u* servatus est [5]) in *duomvir* 7099 [ante 6 p. Chr.]. *duom* 21345.

2. Genetivi pluralis in *-um* desinentis satis multa occurrunt exempla [6]):

α) in nominibus mensurarum sim:

nummum *6944 [193/210]. Cagnat *08, 245 [230]. 2764. *5147. *18798. (*nummorum* *76 [186]. *sestertium* Cagnat

---

[1]) Prisc. I p. 305: *Est quando nominativo quoque in us terminante pro vocativo sive metri sive euphoniae causa utantur.* Cf. C. F. W. Müller, Syntax d. Nomin. u. Akkusat. im Latein. Lpz. 1908 p. 2 sqq.

[2]) Sommer § 207 (p. 373). Skutsch ALL XV (1908) p. 1 sqq.

[3]) Mohl § 83 sqq. Poukens p. 259.

[4]) Sed cf. Mohl § 86. — *termines* Comptes-rendus de l'acad. des inscr. 1908. Mars. p. XV a Skutschio in Glotta II p. 365 citatur.

[5]) Carnoy II p. 138. V p. 340.

[6]) Pirson p. 118. Carnoy V p. 340. Roensch p. 277. Bonnet p. 337. Neue I 166 sqq.

04, 115. *duum* 21104. *duumvir(-a, -i, -um, -alis, -alicius)* *7059 [138]. 9353 [193/210]. 9407 [217]. 20745 [222]. 4418. 9383. *14786. *dumvir(-o, -u, -alis, -atus)* *17903 a [ca. 363] (bis). 1270 [V./VI. saec.]. *14 (bis). *865. 4418. 9073. *18241 (bis). Cagnat *07, 9. *senum* 11665, 12. *vicenum* *6944 [193/210].

β) in nominibus ordinum sim. [1])
virum 11824, 13 [c]. *viru* 4681. *duumvirum* *7059 [138]. *dumviru* 1270 [V./VI. saec.]. 9073. *IIviru* *4583 [198]. *8995 [ca. 200] (bis). *4597 [201/2]. *4600 [285/305] (bis). *4579. *4580. *4585. *IIvirum* 14692. *sevirum* Cagnat *08, 237. *decemvirum* Cagnat *08, 237. *XVvirum* *7036. *dendrophorum* *6940. *6941. (*dendrophororum* *7959). *fabrum* *14611 [post 109/11] (bis). *fabru* 7083.

γ) ut saepe in nominibus gentium, ita in nomine proprio *Hortensium* 7924 [+].

δ) in formulis vel vocabulis ex formulis sumptis:
deum *2230 [193/210]. *4635 [III. saec. c.]. 6955. 9401. 15848. 19125. *electum* *17414 [+] (nisi per compendium scriptum, cf. T̄). *liberum* 1069. *liberu* 4573 (*liberorum* 1267).

3. *deoum* Audoll. 230 b 5 mendum videtur esse dubitantis, utrum *deorum* scribat an *deum*, nisi ratione Graeca *ou* = *ου* = *u* significare volebat.

§ 17.

g) de dativo et ablativo plurali.

In titulis vetustioribus dativi et ablativi pluralis in *-eis* exeuntis tria reperiuntur exempla [2]):

beneficieis *10525 [a. u. 693/709]. *postereis. sueis* *68 [a. u. 742] (quamquam *postereis* errore dictum est pro *posteros*; ibidem etiam *posteris*).

---

[1]) Accedit quod omnia nomina sequentia litteram *r* continent; itaque litterae caninae evitandae causa genetivus in *-um* desinens semper praefertur, cf. E. Woelfflin, Die Dissimilation der littera canina. ALL IV p. 1 sqq.

[2]) Pirson p. 21. — Cf. E. Lommatzsch, *ei* für *ī* auf latein. Inschr. d. Kaiserzeit. ALL XV (1908) p. 129 sqq.

§ 18.

h) de accusativo plurali.

1. Accusativus pluralis, cum *o* in syllabis atonis hebetata in sonum litterae *u* vergeret, in *-us* pro *-os* exibat [1]):

annus 19683 ad 7396. Cagnat 04, 18. 19. *anu* 16309.

2. Accusativus Graecus vocabuli Graeci reperitur in defixionis tabella litteris Graecis Latine conscripta: *αδυτους* Audoll. 270, 21 [II. saec.].

§ 19.

i) de stirpis commutationibus.

Stirpium in *-ro-* desinentium vocalis *e* in casibus obliquis vel retinetur vel syncopa deletur vel ambae formae simul occurrunt. Contra regulam aetatis optimae inveni

Pulceri 22644, 273 (nisi E = H, cf. 274 et CIL XII 5682, 98). *saceroru* 7111 (cf. *sacaracirix* in titulo Paeligno [2])). *socro* 2885. 3143. 3399. 21320. *socrum* 14683 [3]).

III. De declinatione tertia.

§ 20.

a) de nominativo singulari.

1. De nominibus casum nominativum in *-x* terminantibus.

Saepissime nominativi formas et principalem *coniux (coiux)* et *n* littera ex verbo sumpta auctam [4]) *coniunx (coiunx)* invenimus: 91^{ies} et 56^{ies}.

Paulatim autem, cum *x* soni bipartiti pars posterior priorem sono obrueret [5]), id quod probatur scriptura

---

[1]) Pirson p. 42. Carnoy II p. 134. Diehl p. 241 sq. Rönsch p. 520. Bonnet p. 128 sq. 337.

[2]) R. v. Planta, Gramm. d. osk.-umbr. Dialekte. Strassburg 1892. 1897. n. 254. Conway, The Italic dialects. Cambridge 1897 n. 216.

[3]) Formam syncopa minutam probant voces Romanenses *sogru, socru, sogre, suegre* aliae (Groeber ALL V 472. Körting n. 8835 col. 897); eamque in sermone plebeio viguisse ex eo colligitur, quod reicitur a Consentio 392, 9: *socerum volens dicere dicat socrum meum, in quo erit et soloecismus.*

[4]) Skutsch p. 21.

[5]) Schuchardt I p. 132. Corssen I p. 296 sqq. Buecheler § 20 (p. 10). Seelmann p. 352. — Tamen hanc scripturam monuit Skutsch mansisse posse e litteratura Graeca occidentali, quae sonum *x* Latinum per *ΧΣ* exprimebat.

coniuxs 5565. *efficaxs* 11294. *Felixs* 771. 7234. 10791 = 18732. *Veloxs* 19135,

qua re factum est ut qui sonum gutturalem significari volebat, *coniucx* 2092 = 17590 scriberet,

x et *s* finales confundebantur. Itaque non modo

conius 14141 [+]. 3617. 21697. *coius* 3672. *conus*(?) 21860. *innos* 14125 [+]. *feliss* 54. *subornatris* 9428

in *s* exibant [1]), sed etiam scriptura inversa nomina in *s* desinentia per *x* scribebantur ut puta [*fi*]*delix* 14257 [+]. *milex* 5229 [+]. 2894. 16551, ad quae etiam alia nomina velut *felix*, *iudex* valuisse verisimile est [2]). *Milex* nominativus etiam alibi multum videtur viguisse [3]) et vituperatur ab App. Prob. 30 et a Prob. Inst. 126, 36.

2. De nominibus casum nominativum in *r* terminantibus.

Iuxta nominativum *honor* (212, 78 [ca. 150 c.] et saepius) bis forma antiquior *honos* in litteris usitatissima [4]) invenitur: 590. 591, ubi locus Vergilianus (Aen. I 253) affertur: *hic pietatis honos.*

Nonnulla autem exempla *r* finalis omissae E. Hoffmann p. 25 collegit, quibus haec addo:

furo 21562 [c]. *mate* 2926. *speculato* 2998. *Victo* 3328 = 3858.

Quae omnes *r* litterae quamquam propter exiguum tituli spatium detractae esse possunt, tamen *r* finalem etiam e sermone evanuisse suspicari licet, cum lingua Italiana et Romanica in vocibus plurium syllabarum hanc sortem subierint [5]).

3. De nominibus casum nominativum in *s* terminantibus.

De nominativis in *-as*, *-es* pro *-ans*, *-ens* desinentibus, qui maxime in participiis temporis praesentis occurrunt, satis habeo ad E. Hoffmannum p. 26 delegasse. Scriptura inversa ad ana-

---

[1]) Pirson p. 71. Carnoy IV p. 187 sq.

[2]) M. Niedermann, Recueil de travaux p. p. la Faculté des Lettres. Neuchâtel 1905 p. 49.

[3]) Pirson p. 71. Bonnet p. 174. Roensch p. 457. Schuchardt I p. 132. Corssen I p. 298 adn. Buecheler § 24 (p. 13). Seelmann p. 352. Georges, Wtf. s. v. (col. 424).

[4]) Neue I p. 263 sq.

[5]) Meyer-Lübke I § 551 sq. (p. 462 sqq.).

logiam casuum obliquorum effecta *n* ante *s* irrepsit in nominativum *Gigans* 11465; alterum scripturae inversae exemplum reperitur *herens* 20753 [II. saec].

Nomina in *-is* exeuntia *s* finali detracta *i* litteram in *e* debilitaverunt:

Arniese 7082. *Arnese* 18461. *santimoniale* 10689.

4. Iam vero agendum est de nominativo *Iovis* *6981. 20627. Cagnat 09, 123. *225. *226[1]), quem ad analogiam substantivorum parisyllaborum ex casibus obliquis ortum esse apparet. Item nominativi *Felicis* 771. *militis* 7082, quorum nondum alterum repperi exemplum, ex casibus obliquis prodierunt; *nepotis* 4050 autem, cum inde ab aetate antiqua et *nepos* et *neptis* liberorum filiam significarent, de casibus obliquis *nepos* nominativi ad analogiam *neptis* feminini formatum est; *nepoti* 7819 = *nepti* aut ad *nepos* aut ad *nepotis* nominativum referri potest.

5. Nominativorum, quorum syllaba ultima *e* vel *i* litteram continebat, aetate sequiore *e* et *i* in syllaba atona permutabantur[2]); itaque legimus

sodales 7178. — *Decembir* 21225. *fratir* 21168. *Eutychis* 12915.

§ 21.

b) de genetivo singulari.

1. Ut nominativi singularis *-is* et *-es* exitus permutabantur, ita etiam genetivus in *-es* pro *-is* finitur[3]):

Caereres *16693 [161/80]. *Frontones* 17019.

2. *S* finali detracta in *-e* terminantur genetivi[4])

Felice filia 17014. *miserabile mortis* 12120.

Tamen etiam de heteroclitis cogitare licet (cf. § 35).

3. Genetivi in *-i* desinentes occurrunt, qui explicationem habent in spatii exiguitate vel propter attractionem formalem velut

Silici Martiali 5244. *Gargili Victori* 3673.

---

[1]) Huius nominativi formae multa testimonia ex libris titulisque collegerunt Neue I p. 213 sq. et W. H. Roscher, Ausführl. Lexikon d. griech. u. röm. Mythologie s. v. *Iuppiter* (II 1 col. 622 sq.). — Bonnet p. 360. Heraeus p. 43. Scheifler p. 46.

[2]) Pirson p. 31. 35 sq. Carnoy I p. 86 sqq. Schuchardt II p. 43 sq. Eistert p. 18 sqq.

[3]) Pirson p. 35. Carnoy II p. 87. Bonnet p. 121. 339.

[4]) Schuchardt II p. 45. Corssen II p. 240.

vel cum nominativus casus in *-us* desinens conici possit ut puta *Sextili* 11977 (cf. *Sextila* 13135). *Virili* 22645, 407 (cf. *Virilus* CIL XII Ind.).

Sed his explicationibus carent

Iuniori 17431. *Liberali* (?) 16614. *Martiali* 4709. *Mocconi* (?) 5050. *Pudenti* 5089

et satis magnus numerus exemplorum aliarum provinciarum, quae C. Proskauer p. 91 sq. et 119 sqq. collegit [1]). Itaque declinationem sermonis vulgaris propriam ponere cogimur, quae orta est ad analogiam non modo nominum Graecorum in *-is* et *-i* casum genetivum terminantium velut *Hermogenes*, id quod vult C. Proskauer p. 119, sed etiam nominum declinationis alterius, quae casu nominativo in *-is* pro *-ius* cadente genetivum in *-i* finiunt.

4. Graecam terminationem servaverunt nomina Graeca [2]) *Acherontos* 212 [c]. *Memphidos* Cagnat 05, 107 [c]. *Nomados* *11824, 14 [c]. *Pallados* 212 [c]. — *dio*[*e*]*ceseos* 597. *11341. *Neaspoleos* *8934 [II. saec.].

§ 22.

c) de dativo, ablativo, accusativo singulari.

1. Ut declinationis alterius casus dativus, accusativus, ablativus numeri singularis non satis distinguebantur, ita iidem casus tertiae declinationis confundebantur, cum *ī* finalis sermone plebeio latinitatis posterioris correpta et in *ĕ* ut ita dicam hebetata esset [3]).

α) Dativos in *-e* desinentes inveni hos [4]):

coniuge suae rarissimae 2210. *digne c*[*o*]*n*[*iu*]*ge* 2458. *coniugi sue* [*p*]*iissime rarissime incomparabile* 3166 = 4237. *coniugi sue rarissime et incomparabile* 18812. *bene . . meritae item sacerdote publicae* 10580.

Sed haec exempla nescio an omnia ad attractionem formalem vel ad heteroclita spectent. Quae explicatio non quadrat in *vivente* 17788 (*Aelius . . patri carissimo fecit et Diogeniae Piperi*

---

[1]) Carnoy IV p. 208. V p. 347 sq.

[2]) Pirson p. 119. Eistert p. 44 sq.

[3]) Corssen I p. 733 sq. II p. 242. Schuchardt II p. 83 sq. III p. 194.

[4]) Pirson p. 120. Carnoy II p. 130 sq.

vivente), ubi *vivente* ablativi absoluti loco per anacoluthum positum videtur esse. Item constructioni corruptae tribuendi sunt multi casus dativi

Felice *22516 [214]. *10460 = *22593 [239]. *22106 [275/6]. *22122 [275/6]. *11172 [278]. Dessau *595 = Ee *VII 693 [278]. *9042 [312].

in titulis publicis, velut miliaribus sim. Neque enim hic est verus casus dativus personae, cui monumentum dedicatum est, sed ablativus temporis, ad quod definiendum nomine imperatoris auctor utitur.

β) Ablativos autem in -*i* pro -*e* exeuntes congessi hos [1]): *Malchioni* *978 [a. u. 734]. *Karthagini* (locativus!) *10570 [180/3]. 12152. 12318. *potestati* *2550 [198]. *liberalitati* *501 [ca. 300]. *meliori* *1183 [III./IV. saec.]. *in baci* 11129 [+ 429]. *duci* 2245 = 17671 [+ 578/9]. *Ioanni* *12035 [ca. 600]. *monti* 8379 = 20216 [+]. *in paci* 11271 [+]. 17445 [+]. *eri* (= *aere*) 3166 = 4237. *Eucrati* 6283 (nisi est genetivus, cf. 19256). *labori* 5834 = 19189. *luci* 15569 [c]. *mensi* 21322. *a Naroni* *12457. *nomini* 15126. *operi* *1442. *priori* Cagnat 07, 4. *provisioni* 15868.

Contra in -*e* pro -*i* desinunt ablativi [2])

altare 20903, 8 [+ c.]. *base* *885 [193/210]. 2647. 9064. *febre* 241. *omne* 4333.

Illa autem semper fere videtur servata esse regula, secundum quam adiectiva substantivi munere fungentia ablativum casum exitu -*e* terminant, alias in -*i* exeunt:

α) Adiectiva substantivorum vicem obtinentia:

Vindice *8837 [54/68]. *Natale* *2478 [104/5]. *22348 [105]. *1574 = *15576 [164]. 8628 [+]. 22349. *natale* *14683 a 4 [185]. Cagnat 09, 122 [+]. *ex immune* *2618 b 7, 12; c 2 [186/200]. *immune* *4483 [ca. 200]. *Constante* *21078 [188]. *Pertinace* *10238 [195]. *10242 = *22337 [193]. 7041 [193/210]. 7042 [193/210]. 6711 [193/217]. *8375 [196]. *provinciale* 587 [198/217]. *Iuvenale* *9014 [224]. *aedile* *895 [239]. *Vitale* Cagnat *05, 35 [265]. 19980. *Aprile*

---

[1]) Pirson p. 121. Carnoy V p. 341 sq. Scheifler p. 47. Schuchardt I p. 451 sqq. III p. 148 sq.

[2]) Pirson p. 120. Carnoy II p. 131. V p. 342. Scheifler p. 47.

9022 [320]. *sacerdotale* 7014 [364/7]. 7034. *Celere* Cagnat *06, 34. *consulare* Cagnat *08, 237. *cubile* Audoll. 230, 10. *Felice* saepissime, praecipue in miliaribus. *Martiale* 4524. 6276. 7063. *Terminale* 12601.

β) Adiectiva suo loco usurpata:

felici *7006 [306/37]. *1412. *libenti* *7956. *die natali* Cagnat 08, 266.

Contra hanc regulam formata sunt haec exempla:

Subst.: *adulescenti* 828 [III. saec.]. *Pudenti* *714 [232].

Partic.: *disponenti* *4764 [364/7].

Adi.: *inlustre* Cagnat *07, 237 [364/75]. *numtiale* (= *nuptiali*) 21241.

2. Eadem *e* et *i* vocalium permutatione orti sunt casus accusativi [1])

actatim 13134, 3 („in titulo rusticitate insigni et a lapicida neglegenti corrupto"). *Eutunim* *234 (vocabulum dubium). *Martialim* Audoll. 220 a.

3. Locativus antiquus *noctu* semel ut apud Plautum Ennium aliosque scriptores archaicos pro vero ablativo adhibitus cum nomine numerali coniungitur [2]): *noctu una* 12794.

Ablativus *cum basei* Cagnat *08, 167 ad formam Graecam *βάσει* videtur pertinere.

§ 23.

d) de genetivo plurali.

1. Substantiva in *-tas* desinentia inter *-um* et *-ium* terminationes genetivi pluralis nutant [3]):

civitatum *1179 [324]. 7030. *civitatium* *68 [a. u. 742]. *hereditatium* *822. *1439. *9363. *12020. *18909. 20996 [III. saec.] *Lavinatium* *1439. *Misenatium* 1322 (bis). *tempestatum* 9180. *tempestatium* 2609. 2610. *voluptatum* *14.

2. Etiam aliarum stirpium in *-i* exeuntium genetivus pluralis in *-um* falso formatur: *Rugiensum* *9249. *memsum* 21345 [4]).

---

[1]) Cf. Eistert p. 59 sq.

[2]) Rönsch p. 265.

[3]) Carnoy V p. 344. Roensch p. 264 sq. Bonnet p. 361.

[4]) Carnoy V p. 343. Wagener, Neue philol. Rundschau 1899 p. 241 sqq. (= Beitr. z. lat. Gramm. I 17 sqq.). — Quamquam *mensum* genetivus formam

3. *parentes*, *pugil*, *vigil*, quae nomina genetivum casum numeri pluralis et *-um* et *-ium* exitu in librorum sermone terminant [1]), praebent genetivos

parentum 735 b. *15880, 3. 10. *parentium* 1523 a = 15539 a. 12159. *pugilum* *895 [239]. *1323 = *14855. *11998. *vigulum* *822.

4. Memorabilis est genetivus *soporantion* 2297 [VI. saec.] in titulo ex Cassiodor. Var. 7, 7 descripto *o* et *u* vocalibus extremae syllabae et *m* ac *n* finalibus permutatis.

§ 24.

e) de dativo et ablativo plurali.

Genetivi *soporation* simile legitur *laboribo* 4354 = 18540 [+ 578/82] (cf. *manibu* 13145).

§ 25.

f) de accusativo plurali.

1. Archaismo quaesito, ut ait index grammaticus CIL VIII 2 p. 1110, accusativus pluralis in titulo aetatis sequioris in *-eis* exit [2]): *civeis* 2391.

2. Accusativus pluralis in *-is* desinens raro occurrit in nominibus genetivum pluralem in *-ium* terminantibus [3]):

Subst.: *Guzzensi*[*s*] *69 [65]. *hostis* 9142 [c]. *negotiantis* *11813. *vulpis* 1027 add.

Adi.: *Aprilis* 1393 [+]. *mortalis* 676 a 1 [c]. *per omnis* 9519 [c] = CLE 526 (versus exitus Vergilianus, cf. quod adnotavit Buecheler).

In accusativo *antistitis* 16527 *e* littera extremae syllabae fortasse *i* litteris praecedentibus assimilata est.

3. *solaminia* 619, 4 [saec. II. exeuntis], qui est contra regulam accusativus, M. Hoffmann p. 98 [4]) ad adiectivum *sola-*

---

indogermanicam quae dicitur spectantibus recte formatus dici potest (Sommer § 228 p. 416 sq.).

[1]) Neue I p. 422. — Pirson p. 120.

[2]) Lommatzsch ALL XV p. 136.

[3]) Pirson p. 118 sq. Carnoy V p. 342 sq. Bonnet p. 111. Scheifler p. 47.

[4]) Diss. Argentor. 1878.

minius a *solamine* ductum pertinere suspicatur [1]); sed nescio an nihil sit nisi mendum lapicidae *i* praecedenti inducti.

4. More Graeco formati sunt accusativi [2]) *celetas* Cagnat 05, 195 [3]). *marturas* 9692 [+].

§ 26.

g) de stirpium commutationibus.

Omnibus tertiae declinationis casibus obliquis communes sunt quaedam stirpium commutationes; hoc sane loco seiungenda sunt ea substantiva, quae commutatione subita in aliam declinationem traducuntur, substantiva dico heteroclita.

1. Saepissime nominum Graecorum in linguam Latinam translatorum stirps mutatur:

α) Nomina Graeca in -*is* desinentia, quae in casibus obliquis syllaba crescere debent, Latine ad analogiam nominum parisyllaborum declinari possunt [4]):

Adoni Cagnat *05, 13 [193/211]. *Osyris* (gen.) Audoll. 270, 22 [II. saec.]. *Serapis* (gen.) *2629. *Serapi* 1844. *2630 [158]. *14792 [180/92]. *17721. *21487.

Sed Graecam rationem secuta sunt nomina

Athenaide 18217. *Briseidi* 20586. *Elpidis* 21166. *Heuresidi* *1181. *Isidi* 21822. *Memphidos* Cagnat 05, 107 [c]. *Serapidi* 1002. 1004. 12492. 20147. *Tigride* Audoll. 276, 8; 282, 9; 284, 15;

et ad eam analogiam formatur *basidem* 11041 [5]), quod nomen alias parisyllaborum declinationem sequitur:

basis (gen.) *2438 [195/8]. *basem* 12496. *19122 [III. saec]. Cagnat *07, 91; *08, 263 [193/211]. Uchi Maius *22 [197]. *base* 12328. *19121 [III. saec.]. Cagnat *08, 242. Dessau 6865. *basi* Cagnat *08, 241. *basei* Cagnat 08, 167. *basibus* *17829 [193/210]. Dessau 434 = Ee VII 757.

---

[1]) Idem p. 98: *Recte exaratum est solamina in C II 1180, 11.*

[2]) Bonnet p. 377 sq. Eistert p. 62 sqq.

[3]) Buecheler, Rhein. Mus. LIX (1904) p. 322. ThLL III 758, 44.

[4]) Cf. Charis. 1, 15 p. 68. — Pirson p. 142. Neue I p. 223. Sievers p. 79 sq. Eistert p. 45.

[5]) Cf. Venant. Fort. carm. VIII 12 a, 2 (ed. Leo) et locos in ThLL II 1774, 3 citatos, inter quos hic titulus deest.

β) Nomen Graecum Ἔρως in latinitate posteriore, cum declinatur Latine, in casibus obliquis stirpem *n* littera pro *t* efferre solet [1]), cuius rei unum inveni exemplum: *Eronis* 17140 ad 4850.

Stirpem Graecam praebent

Erotis 15482. 22644, 93 (ter). *Eroti* 21025. *Anterotis* 21317. *Paederotis* 22652, 1. *Philerotis* *270, 29 = *11451, 29 [138]. *Sinerotis* 17118.

γ) Nominum quoque Graecorum in -ης desinentium stirps ad analogiam eorum, quae velut Θαλῆς sive Θάλης casum genetivum et Θαλοῦ et Θάλητος formabant, *t* littera inserta in *-etis*, *-eti* declinatur [2]):

Eutycheti 2842. 3327. *Hierocleti* 9367 = 20995 [III. saec.]. 20996 [III. saec.] (bis). *Iauletis* (nom. barbar.) Dessau 2577 = Ee VII 516.

δ) *Plutois* 18679 non tam genetivum e nominativo terminatione *-is* aucto formatum quam lapicidae mendum puto esse.

2. Non modo peregrinorum, sed etiam Latinorum nominum stirps secundum leges sonorum quae dicuntur vel analogiam quandam permutatur:

α) si *e* elisa videtur ex stirpe in nominibus *Clemntis* 16990. *Crescns* 19729. *mernti* 18325. 18475, haec non vera est syncopa, immo vero illa vocabula secundum consuetudinem a Terentiano Scauro p. 14 sq. commemoratam scripta sunt, qua singulae litterae, tamquam satis ipso nomine syllabam explerent, suum nomen scriptura retinebant [3]).

β) *neps* 10772. 18694 syncopa ex *nepos* ortum est, fortasse ad analogiam feminini *neptis*, quod *o* littera caret; mendo autem lapicidae illam formam tribuere nos vetant formae linguae Provincialis *neps*, *nebs* [4]).

γ) Dignus est qui proferatur vocativus *principe* 17612 ad 10713 [+], qui plane iam praebet formam linguarum Romanensium [5]); casus enim communis in lingua vulgari usitatissimus hic pro vocativo usurpatus est.

---

[1]) Pirson p. 140. Proskauer p. 118. Bindel p. 53. Sievers p. 73 sqq.

[2]) Hehl p. 62 sqq. Bindel p. 51 sqq. Sievers p. 55 sqq. Eistert p. 43.

[3]) Lindsay III § 14 p. 203.

[4]) Körting n. 6515 (col. 687).

[5]) Körting n. 7433 (col. 744): *principe* (Ital.), *príncipe* (Hispan. Lusit.).

δ) Dativi *patiri* 2086 [1]) stirps per anaptyxin quae dicitur aucta est, quae forma ideo magni momenti est, quia eam linguis Romanensibus postulari affirmat Meyer-Lübke I § 313 (p. 251): *Schon im Vulgärlatein wird r im Silbenanlaut nach vorhergehendem Konsonanten vokalisch: patrem ist gesprochen pat^{e}rem, wie sich aus der Behandlung des Vokals und des t im Romanischen ergibt.*

ε) Dissimilatione litterae caninae prodierunt *frati* 9950 = 21791 [589]. *frates* 21766 [401]; quibuscum conferas velim formas *frate* (Italianam), *frade* (Lusit.), *frate* (Romanic.), ad quas, sive ex *fratrem* sive ex *frater* ortae sunt, dissimilatio haud dubie valuit. *Novembes* 21799 [425] mendo lapicidae esse tribuendum videtur.

ζ) *sorres* 9156 et *sores* 21554 [+] [2]), qui accusativi numeri pluralis pro *sorores* usurpantur, dissimilatione syllabica — non syncopa, cum syllaba elisa accentu acuatur — ex *s⟨or⟩ores* prodisse patet. Quae formae facile nos ad linguas Romanenses traducunt, quarum nominativus adhuc explicatione caret; neque enim casus recti *suor* (vet. Ital.), *sor* (Provinc.), *soer suer sor* (vet. Francogall.), *sor* (Hispan. Lusitan. Catalan.) [3]) ita facile ex *soror* derivari possunt; simul autem formae Romanenses intellegentur, ubi **sor* nominativum posuerimus, quem, quamquam nondum in linguae Latinae finibus repertus est, tamen e casibus obliquis velut *sores* reformatum esse manifestum est.

η) Genetivi *antistis* 5367 a [4]) pro *antistitis* causa est et analogia substantivorum parisyllaborum et haplologia illa sive dissimilatio syllabica, quae unde in animis loquentium oriatur, optime disserunt Meringer et Mayer, Versprechen und Verlesen. Wien 1895 p. 182 sqq. et R. Meringer, Aus dem Leben der Sprache. Berlin 1908 [5]).

ϑ) Littera *n* ex stirpe elisa occurrunt formae

---

[1]) Pirson p. 59. Schuchardt II p. 407. Corssen II p. 386 sq. Stolz-Schmalz, Lautlehre § 76, 6 (p. 183 adn. 1).

[2]) Schuchardt II p. 434 sq.

[3]) Körting n. 8890 (col. 902 sq.).

[4]) *antestis* Inscr. christ. Gall. 223 [+ 931].

[5]) Stolz-Schmalz, Lautlehre § 66 sq. (p. 152 sqq.) et K. Brugmann, Abh. d. Kgl. sächs. Ges. d. Wiss. LVII. Phil.-Hist. Kl. XXVII. Lpz. 1909 p. 139 sqq., qui reliqua de hac re scripta afferunt.

indulgetissimo *22361 [270/5]. *fletes* 19606. *mereti* 2278. 9660.

Neque tamen *n* ante *t* evanuisse his exemplis putabimus, sed illae formae secundum nominativos, quorum *n* ante *s* recte excidit, formatae sunt.

§ 27.

IV. De declinatione quarta.

1. Nominativus *magistratis* *12286 [138/61] „in titulo non solum lapicidae erroribus verum etiam rustico sermone composito“ mihi videtur mendum esse.

2. Casus genetivus pluralis et in *-uum* et in *-um* terminatur [1])

fructuu[*m*] Cagnat *07, 196, 3 [118/29]. *fructum* Lex Manc. I 22; *iduum* *1845. *9052. *idum* 6357; *manum* *10570 [180/3]. *saltum* 5351 [97/117]. *10570 [180/3].

Genetivi et dativi pluralis syllabarum numerum secutus accusativus quoque pluralis ad illorum analogiam exitum *-us* stirpi videtur addidisse:

arcuus (acc. pl.) *587 [198/217]. *fructuus* (acc. pl.] Lex Manc. III 16 (at *fructus* Lex Manc. II 29; *voltus* 434, 3).

Secundum genetivum pluralem etiam accusativus singularis falso per *-uu-* scribitur: *usuum* *8369 [128].

3. *domus* substantivum secundum declinationem quartam ablativum numeri singularis semel exitu *-u* terminat [2]): *domu* *8411 [239/42] (*domo* *9233 [239/42]. 11115).

Contra accusativus singularis *u* et *o* permutatis in *-o* desinens legitur:

domo Romula istituerunt 9982 [416]. (*domu Romula ist.* 9984 [429]). *domo aet. fec.* 21793.

4. *lacubus* *51, 4 [III. saec.] (iuxta *domibus*) etiam in litterarum sermone invenitur, cf. Neuium I p. 553.

5. Nominativus pluralis *manos* Audoll. 250 b ad *u* et *o* permutatas pertinet.

---

[1]) Pirson p. 109. Carnoy V p. 345. Bonnet p. 339 adn. 1. Neue I p. 546 sq. Sommer § 242 (p. 426).

[2]) Pirson p. 127. Carnoy V p. 345. Neue I p. 775 sq.

§ 28.

V. De declinatione quinta

nihil fere habeo quod dicam, nisi quae sequentur sub heteroclitis.

Id tantum dico, *fide* 1757, 4, quem genetivum M. Hoffmann l. c. p. 100 statuere voluit, me haud scire an per compendium pro *fidelis* scriptum sit („*an coniuga(li) fide ministra?*“ CIL VIII 2 p. 1119 sub „Notabilia varia“), quamquam genetivus *fide* ab usu non abhorret [1]).

Unus autem casus dativus in *-e* desinit [2]): *die* 9323, quae forma, cum quinquies apud Plautum, bis aliis locis occurrat [3]), sermonis vulgaris propria videtur fuisse.

Notari possunt etiam accusativi numeri pluralis aetatis posterioris, qui *e* cum *i* permutaverunt: *diis* 20392, quin etiam *ii* > *i* contraxerunt: *dis* 21765 [350]. 21574 [433]. 21573 [434]. 21632 [+ 494].

VI. De pronominum declinatione.

§ 29.

a) de pronominibus personalibus.

1. Pronomina personalia, quae optimis temporibus rarius adhibebantur, aetate sequiore, cum verborum terminationes non iam ad personas significandas sufficerent, magis magisque cum verbis coniuncta corporis sui subierunt varias commutationes. Ita pro *ego* usurpabatur *eo*, quae forma fundamentum est linguarum Romanensium [4]) et nobis occurrit in titulo 13134, 21.

2. *tue* 9729, si est idem quod *tui*, effectum est *ī* > *ĭ* correpta et *ĭ* et *ĕ* permutatis.

3. *michi* 18742 [+] ita fortasse explicandum est, ut is, qui titulum scripsit, cum illa aetate *h* littera nullum fere sonum redderet, aspirationem illam, quae inter duas *i* semper audiri potest, scriptura exprimere vellet; ita *michi* et *nichil* aetate

[1]) Buecheler p. 168 (p. 67 sq.). Lindsay VI § 19 (p. 438 sq.). Neue I p. 574.

[2]) Bonnet p. 332 sq. Pirson p. 122. Neue I p. 574.

[3]) ThLL V 1022, 32.

[4]) Meyer-Lübke I § 634 (p. 521); II § 74 sq. (p. 91 sq.). Körting n. 3209 (p. 377 sq.). — Mohl § 127.

sequiore et toto medio aevo in usu fuerunt [1]); neque tamen, id quod Birt fecit [2]), *ch* sonum litterae nostrae *ch̬* vel *kh* reddidisse concludere possumus, quod linguae Italianae et Hispaniensis verba *nichilar* et *anniquilar* illum sonum servaverint. Nam vocem *nihil* in linguas Romanenses non transisse satis constat; et illae formationes non e sermone populari prodiisse, sed a viris doctis medii aevi in libris primum adhibitae videntur esse [3]). Recte igitur Grandgent [4]) illas formas medio aevo scholarum tantum usu per *k* pronuntiatas esse dixit.

4. *sibei* *10525 [a. u. 693/709] et *nobeis* 21179, 10 [100? c.] vetustiorem aetatem olent [5]).

5. *bos* Cagnat 03, 209 = Audoll. 273. Audoll. 274. et *vovis* Audoll. 268 [III. saec.] permutationem *b* et *v* consonarum in Africa usitatissimam praebent.

§ 30.

b) de pronominibus possessivis.

1. *mios* 12130 [+] accusativus pluralis cum plurali Hispaniensi *mios* et singulari Hispaniensi et Italiano *mio* de *i* littera consentire videtur.

2. Pronomina possessiva *sus* 9113 = 20781. *sum* Cagnat 05, 119. *sun* *2557, 36 [203] quod in enuntiati contextu cum substantivo suo ut enclitica arte cohaerebant, *u* priorem semivocalem factam eiecerunt [6]); ita monosyllaba in linguas Romanenses transierunt postulanturque formis *sos*, *son* (Provinc.), *ses*, *son* (Francogall.), *su*, *so* (Hispan.), aliis [7]).

---

[1]) Carnoy VI p. 330. Roensch p. 455. Birt p. 20. 121. 180.

[2]) P. 121 sq.

[3]) Cf. etiam vocabula Italiana *annichilamento, annichilazione, nichilo, nichittà, nichilismo, nichiliste;* Hispaniensia *aniquilable, aniquilacion, aniquilador, aniquilamiento*; Lusitana *aniquilar, aniquilação, aniquilador.*

[4]) An introduction to vulgar Latin. Boston 07. § 252. Löfstedt p. 97.

[5]) Pirson p. 21.

[6]) Solmsen p. 38.

[7]) Meyer-Lübke II § 86 (p. 108 sqq.). Cf. D'Ovidio, Ricerche sui pronomi personali e possessivi. Archivio Glottologico IX p. 25 sqq. — Alia exempla Latina afferunt Schuchardt II p. 465 sq. Carnoy III p. 37.

3. *vostrum* 9081 [c] ad analogiam *nostrum* pronominis formatum est, quae forma omnium linguarum Romanensium est fundamentum velut *vostru* (Romanic.), *vostro* (Ital.), *vôtre*, *votre* (Francogall.), *vuestro* (Hispan.)[1]; neque E. Hoffmanno assentiri possum, qui p. 59 *vostrum* formam archaicam hic servatam esse censet, cum mihi quidem titulus ab homine omnino nihil sermonis antiqui appetente scriptus esse, sed certa vestigia aetatis labentis habere videatur.

§ 31.

c) de pronominibus demonstrativis.

1. *hic*.

α) Pronomen *hic* in omnibus casibus sine aspiratione usurpari potest, ad quam detractionem maxime analogia pronominis *is* videtur valuisse; cum enim nominativi et dativi-ablativi pluralis ambae formae similiter sonarent: *hi-ii*, *his-iis*, hinc primum permutari coeptae ceteros casus eadem detractione affecerunt[2]:

oc (neutr. nom.) 4370. 9192. 17938. *occ* 17938. *οχ* Audoll. 270, 5 [II. saec.]; 289 b 17. *uius* 13134, 9. Audoll. 251 a 1. 4. [II. saec]. *ουιους* Audoll. 270, 18 [II. saec.]. *ui* 21541. *unce(?)* 14451 [180/92]. *ουνκ* Audoll. 231. *anc* 152. Audoll. 286 b (bis). 290 b. 291 a (bis). 293 a (bis). *oc* (abl.) 21492. Audoll. 229. 287 a. 290 b. 291 a. 292 b. 293 b 4. *οκ* Audoll. 231. *ac* Audoll. 292 b. *ακ* Audoll. 231. 286 b. *ec* *16396 [+ aevi infimi]. Audoll. 251 a 2 [II. saec.].

β) Nominativus masculinus *hec* 14439 [527/65] $\check{i} > \underset{.}{e}$ mutata secundum notissimam illam legem ortus est[3]).

γ) Nominativus singularis generis neutrius [*h*]*oci* 11520, 20 ad 440 pro *hoce* ($\check{e} = \check{i}$ in syllaba atona) et accusativus masculinus *uncc* 14451 [180/92] particulam illam deicticam quae dicitur videntur servavisse; sed parum de eorum lectione constat.

occ est 17938 rectam nobis utique ante vocalem scripturam

---

[1]) Meyer-Lübke II § 92 (p. 116). Körting n. 10308 (col. 1032).

[2]) Hans Ziegel, de is et hic pronominibus quatenus confusa sint apud antiquos. Diss. Marp. 1897. Stangl, Pseudoasconiana. Paderborn 1909 p. 9sq.

[3]) Seelmann p. 166. — Pirson p. 10 sq. Carnoy II p. 93.

praebet, cum ex *hod* + *ce* prodierit[1]); cum *h* non audiretur, *c* finalis autem, si ante vocalem ponebatur, in enuntiando semper tam distincte geminaretur, ut Vel. Long. VII 54, 6 sqq. *hoc erat* per duas *c* scribendum esse censeret, is, qui tabulam pinxit, quoniam in omni parte vocabula sex litterarum elegerat, *c* finalem pronominis *hoc* geminavit.

δ) Duae nobis occurrunt formae pronominis *hic*, quae *-ce* particulam omnino amiserunt: *he* 20478 [324]. *ui* 21541 ad 9729 = *Ee* VII 540. De antiquis formis cogitare nos vetat aetas tituli. Alia autem nobis praesto est explicatio; nam cum non modo *hic* casu dativo dicatur (*h*)*ui*, sed etiam *illui*, *istui*, *altrui* dativi in usum venerint et in linguas Romanenses transierint[2]), has formas omnes ad unam analogiam exstitisse patet; qui tantum valuit casus dativus, non potest alius esse nisi *cui*. Similiter *he* analogiam nominativi *quae* videtur secutum esse.

2. *ille.*

α) Huius pronominis una nobis forma magni momenti est *lum* 19525 b („*ut facia lum mortu*"), quae cum enclisi cum verbo praecedente coniuncta ultimam pronuntiando acueret, priore syllaba minuta est; eadem etiam in linguas Romanenses transiit, ubi articuli vel pronominis personalis coniuncti munere fungitur[3]).

β) *illae* Audoll. 230, 2 („*aufer illae somnum*") ex nominativo *illa* ad analogiam stirpium in *-a* desinentium formatus est casus dativus (non genetivus, quem esse vult editor).

3. *is.*

E variis scripturae proprietatibus unius mentionem faciam *heius* 3520. 14281, qui casus genetivus contaminatione ex *huius* + *eius* videtur effectus esse[4]).

---

[1]) Skutsch p. 60 sq.; idem, Bezzenb. Beitr. XXI p. 84. Seelmann p. 125 sq. Cf. *terminus hicc est* CIL IX 60.

[2]) Meyer-Lübke II § 94 (p. 118 sqq.). Mohl § 11.

[3]) Gröber ALL III p. 264. Meyer-Lübke II § 83 (p. 103 sqq.). Skutsch p. 130 sqq. Cf. *stum stinc* Roensch p. 525, sed hoc pronomen priore syllaba semper servata in linguas Romanenses transiit (Gröber ALL III p. 273).

[4]) Birt p. 147. 157. Bonnet p. 383. Hans Ziegel l. c.

4. *idem.*

Accusativi singularis neutrius generis formam si legimus *eundem monimentum quod* 19174, analogiam subesse patet stirpium in *-o* exeuntium [1]), nisi *monimentum* in genus masculinum transiit, cuius permutationis non desunt exempla; pronomen utique sequens relativum *quod* genus neutrum nihil probare potest, cum etiam ad nomina masculina referatur [2]).

§ 32.

d) de pronomine relativo.

Pronominis relativi variae exstant formarum exaequationes, quae eo spectant, ut genera tria ad unam formam redigantur, quae sola in linguis Romanensibus relicta est. Itaque invenimus

1. nom. sing. masc.

quae 21337 a. *que* 18382.

quam formam scriptura inversa ex feminino, cuius loco saepissime forma masculina usurpatur, prodiisse patet [3]).

2. Nom. sing. fem.

qui 9862 [302]. 20301 [+ 349]. 21645 [+ 352] (bis). 21800 [359]. *17896, 32 [361/3]. 21784 [372]. 21803 [374]. 9979 [389]. 21806 [389]. 21641 [391]. 21643 [+ 391] (bis). 21638 [395]. 9977 [398]. 9804 [+ 418]. 21801 [ca. 420]. 21799 [425]. 20643 [+ 444]. 9752 [+ 450]. 20410 [+ 454]. 21642 [+ 470]. 21676 [+ 491]. 21631 [+ 494]. 163. 347. 1679. 2972. 4384. 4406. 5721. 7093. 8609 = 20392. 9321. 9972. 9980. 9983. 10901. 11551. 16090. 16919 b. 18366. 18379(?). 21807,

cuius alia scriptura est *cui* 21553 [434], maxime in titulis christianis vel aetatis christianae [4]).

Quae formae utrum $\bar{e}$ et $\bar{\imath}$ permutatis ex arte phonetica

---

[1]) Bonnet p. 393; de *eum* neutrius loco usurpato Bonnet p. 383.

[2]) Bonnet p. 393. Jeanjaquet p. 47 sq.

[3]) Bonnet p. 392. Jeanjaquet p. 49 sq.

[4]) Pirson p. 158. Roensch p. 276. 520. Bonnet p. 390. Scheifler p. 53. Konietzny p. 306. Jeanjaquet p. 44 sq. Henry Martin, Notes on the syntax of the Latin inscriptions found in Spain. Diss. Baltimore 1909 p. 8. Löfstedt p. 131 sqq. Poukens p. 156 sqq. Friese, De praepositionum et pronominum usu qui est in titulis Africanis latinis. Diss. Vratisl. 1913 p. 59.

explicari debeant [1]) an ad analogiam casuum, qui genera terminationibus non distinguunt, an pronominum substantivorum velut *quis*, *aliquis*, quibus forma masculina et feminina communis est, ortae sint, dubitari potest, vel potius omnes hae causae ad illam deformationem adiuverunt.

qua *18328 [379, 83] nominativus femininus [2]) aut secundum pronomen indefinitum ex stirpis forma in *-o* desinente sumptus aut ex accusativo *m* finali abiecta ortus est.

Semel etiam *quot* 21475 ad femininum *mesa* refertur [3]); neque igitur iam qui scripsit generum differentiam exitu expressam sensit.

3. Neutrum numeri singularis *d* et *t* finalibus permutatis comparet [4])

quot *14683 a 4 [185]. 21581 [261]. 7759. *15476 Cagnat *04, 118. *06, 12;

nec non *u̯* semivocalis post *q* deletur [5]):

cod 17651; maxime autem in compositis *Codbuldeu* Cagnat 06, 48 [+]. *Codbul.* 14236 [+]. *Cod* . . . 13872 [+]. *Cobuldeus* 13876 [+].

quid 18742 [+]. 21562 [c] = CLE 520 pronomen relativum ab indefinito vel interrogativo sumptum est [6]).

4. Accusativus singularis masculini generis *m* et *n* ut in voce monosyllaba permutatis legitur

quen 20722 a. Dessau 8755 (bis). Audoll. 247 (bis). Audoll. 253, 12. 17. 40 [II. saec.];

quae forma transiit in linguas Romanenses: *chen* (Sardin.), *quin* (Provinc.), *quin* (Catalan.), *quien* (Hispan.) [7]).

5. Feminini quoque generis accusativus singularis eodem usurpatur exitu [8]): *quem* Audoll. 265 a [III. saec.]. 268 [III. saec.]. 266, 5. 18.

---

[1]) Scheifler p. 53.

[2]) Bonnet p. 395.

[3]) Pirson p. 159. Bonnet p. 394. Jeanjaquet p. 47.

[4]) Pirson p. 65.

[5]) Pirson p. 67.

[6]) Bonnet p. 393. Löfstedt, Beiträge p. 55 sqq. Friese l. c. p. 62.

[7]) Körting n. 7665 (col. 793 sq.).

[8]) Jeanjaquet p. 44 sqq.

qun Audoll. 268 [III. saec.] mendum videtur esse pro *quan* vel *quen*.

Ut *quen*, ita *quan* ante dentalem legimus *in quan die* 8037.

6. Semel *quem* 21806 [389] pro dativo feminino usurpatur; neque autem casuum permutationis hic est locus, sed est res morphologiae. Optime enim hac forma illustratur unus ille casus obliquus, quem plurimae linguae Romanenses servaverunt: „*'qui' et 'quem' restaient pour ainsi dire seuls en présence, au singulier comme au pluriel*; *il s'est donc simplement passé pour le pronom relatif, ce qui est arrivé presque partout dans la déclinaison nominale: c'est l'accusatif qui est devenu cas unique*" [1]).

7. Dativus singularis *quoi* 9505 vetustiorem aetatem olet in titulo aetatis recentioris.

§ 33.

e) de pronominibus interrogativo, indefinito, aliis.

1. Quorum pronominum variae reperiuntur scripturae plus minusve ab optima aetate discrepantes:

cuis Audoll. 289 b 10. *qis* *14683 c 1 [185].
qua *15716 [c] (pro *quae* etiam in litterarum sermone occurrit).
quit Cagnat 08, 159 [+]. Audoll. 219; 303 I 3. II 4. 6. IV 1. 2. VI 2 [2]). *ni⟨n⟩ quet* (= *ne quid?*) Audoll. 303 II 8.
aliquit *14683 c 4 [185] [2]).
aliut *15868. Cagnat 08, 15 [c]. *αλιουτ* Cagnat 03, 210 = Audoll. 267 [3]).
quod (pro *quot*) 18629.
cuiqun[*que*] Audoll. 291 b.

2. *quisque* quod in sermone antiquo idem quod optima aetate *quisquis* significabat [4]), in titulis Africanis, cum aevo labente

---

[1]) Jeanjaquet p. 50.

[2]) Pirson p. 65. Carnoy IV p. 198.

[3]) Carnoy IV p. 198. Bonnet p. 160.

[4]) Pennigsdorf, de quisque et quisquis pronominum apud comicos Latinos usu commentatio. Diss. Hal. 1878 p. 23 sqq. Skutsch, Jb. f. class. Phil. Suppl. XXVII p. 86 sqq. Foerster, ibid. p. 172 sq. Leo, Plautin. Forsch. [2] p. 289. — Roensch p. 336. Bonnet p. 303. Konietzny p. 333. Scheifler p. 54. Proskauer p. 148 sqq. Friese l. c. p. 64 sq.

quisquis et *quisque* similiter efferrentur, nonnumquam pro *quisquis* dictum invenitur: 1027 [c] = 12468 = CLE 484. 2729. 3727. 4120. 4373. 14352 [c] = CLE 528.

Item *cuiiusque* 21531 [339].

3. Ablativus pluralis legitur *aliquis* *2728, 82 [ca. 152] [1]).

§ 34.

VII. De numeralibus appendix.

Nomina numeralia ut cetera et pronuntiatione et analogiis in varios modos mutata sunt; optime autem ad ea tractanda ita progrediemur, ut singulos deinceps numeros perlustremus.

unus eandem sortem patitur ac nomina declinationis II.; ita casu obliquo dicitur

unu 128. 670. 760. 3820. 8550 et saepius, de quo utrum sit accusativus casus *m* finali detracta an ablativus *o* et *u* permutatis, non semper constat.

unus 3741 *s* infirma adiecta ablativi loco scribitur.

duo casum accusativum aeque ac nominativum terminare potest [2]) et terminat: *duo* 21479 [318]. 2017. 4523. 5370 = 17497. 21145.

tres iam flexione videtur carere; coniungitur enim cum casu ablativo: *anis tres* 8637 = 20553 [+ 527?]. *annis viginti tres* 8590. Tamen an contaminatio duarum constructionum subsit nescio; nam et accusativus et ablativus temporis iuxta *vixit* invenitur [3]) et saepissime *annus* casu ablativo ponitur, *mensis* autem accusativo vel vice versa, id quod fortasse quadrat in *annis XX. m. tres* 21138.

quattuor saepissime sermone vulgari *quattor* pronuntiatum esse docent exempla satis multa [4]); ita in titulis Africanis legimus

---

1) Neue II p. 469. Bonnet p. 396. Leo, Plautin. Forsch.[2] p. 316 adn. 1.

2) Neue II p. 279 sqq.

3) Cf. exempla quae attulerunt Pirson p. 183 sq. et Konietzny p. 331.

4) Pirson p. 58. Ihm, Vulgärformen latein. Zahlwörter auf Inschriften. ALL VII p. 65 sq. Ritschl, Rh. M. VIII (1853) p. 309 adn. — Linguas Romanenses, quamquam omnes *u* vocalem eiecerunt (Körting n. 7652 col. 792), de forma Latina nihil probare, cum et *quattuor* et *quattor* eandem formam in linguis Romanensibus effecturas fuisse veri simile sit, Appel, professor illustrissimus, me monuit.

quattor 5843. 8573 (bis). *quadtor* 14125 [+ IV./V. saec.]. *qator* 8789.

Priorem quidem sonum labialem servatum esse et *qator* nihil nisi *q* pro *qu* scriptam probare ex consensu plurimarum linguarum Romanensium conici potest[1]); *u* autem post *tt* consonas semivocalem factam dissimilatione excidisse forsitan dixerit quis. Sed cum saepius in aliis quoque vocibus[2]) *u* vocalis post complures consonas ante vocalem elisa illam explicationem non permittat, hic quoque concedemus *u* > *u̯* mutatam propter difficultatem pronuntiandi compluribus consonis praecedentibus elisam vel illis assimilatam esse[3]).

quinque dissimilatione prioris *qu* nihil servavit nisi sonum gutturalem:

cinque Audoll. 253, 11. 51 [II. saec.]. *ceqe* 12200 [+].

Quam dissimilationem pervulgatissimam fuisse in sermone plebeio non modo exempla satis crebra ipsius latinitatis[4]), sed etiam linguarum Romanensium consensus[5]) testatur; *ceqe* autem ex *quinque* ita mihi videtur ortum esse, ut *n* gutturalis scriptura exciderit velut in *ligua* (Audoll. 303 I 2. II 2. 5. V 6.) aliisque exemplis[6]); *ī* autem vocalis, quam longam esse probant linguae Romanenses[7]) et I longae scripturae[8]), cum *ē* locum permutavit, cuius rei exempla collegit E. Hoffmann p. 56 sq., et *q* posterior, nisi *q* idem quod *qu* pronuntiando valuit, post dissimilationem prioris *qu* effectam priori sono gutturali assimilata est.

---

[1]) Meyer-Lübke I § 426 (p. 352).

[2]) *battuo* > *batto*, *futuo* > *futto*, *mortuus* > *mortus*, *Februarius* < *Febrarius* cf. Lindsay II § 54 (p. 61).

[3]) Meyer-Lübke I § 501. 503 (p. 421 sqq.); aliter Lindsay VI § 64 (p. 475).

[4]) Pirson p. 95. Carnoy IV p. 239. VI p. 324. Ihm l. c. p. 66. Schuchardt II p. 484.

[5]) Körting n. 2201 (col. 273 sq.). Meyer-Lübke I § 3 (p. 6 sq.); II § 559 (p. 590).

[6]) E. Hoffmann p. 28. Schuchardt I p. 107. Corssen I p. 261. Seelmann p. 285.

[7]) Meyer-Lübke I § 30 sq. (p. 54 sqq.).

[8]) Christiansen, de apicibus et I longis. Diss. Kiliens. Husum 1889 p. 45 sq.

sex ut nominativi singularis declinationis tertiae in *-x* desinentes sonum sibilantem expressius significavit scriptura

sexs *1413 b = *15205. 2968. 4524. 12598. 12761.

Idem iudicandum est de

sexsaginta 21428. *sexsagenarius* 20366. *Sexstius* 15629.

septe, nove, dece ad analogiam numeri *quinque m* finalem amisisse affirmantur ab E. Diehlio p. 191:

septe 8639 [+ 405]. 1040. 4076. 9126. 16752. 21479. Audoll. 250 a (bis). *sette(?)* Cagnat 06, 132. *nove* 8573. 14529. 21426. Audoll. 253, 11 [II. saec.]. *dece* 1040 = 13238. 9919. (*decenviri* 10945 cf. 21495).

Quae explicatio cum per se veri similitudine caret, quod, cur numerus *quinque* ad illos ipsos tantum valuerit, vix intellegat quisquam, tum minus probabilis fit eo quod nova explicatione ei opus est ad explicandos numeros

undeci, duodeci sqq., qui rursum ad analogiam numeralium *septe, nove, dece* formati esse dicuntur. Neque ego quidem rationes, quas E. Diehl attulit, probare possum, sed *m* finalem omissam infirmitati soni tribuendam esse potius censeo et in illis numeris et in sequentibus [1]):

undeci 20920 [+]. *duodeci* *17896, 38 [361/3]. *quindeci* *17896, 32. 33. [361/3]. *sedeci* 21140. *centu* 403 = CLE 1329 [c] (positionis evitandae causa?). 1246 [+]. 4523. 11594 = CLE 1328 [c] (positionis evitandae causa?).

septem et *octo* assimilatione *pt* > *tt* et *ct* > *tt* deformantur in *sette(m)* et *otto; sette*, cum omnes linguae Romanenses excepta Romanica *pt* > *tt* assimilaverint [2]), nostris temporibus dicitur [3]); titulorum autem exempla sunt [4]):

sette Cagnat 06, 132 (nisi per compendium scriptum pro *sette(mbribrus)*, cf. Bulletin de la Société Nationale des Antiquaires de France 1906 p. 182). *setimo (-a)* 9815 [V. saec.]. 12200 [+]. *Settim[a]* 13945 [+]. *Set(em)b(res)* 8609 = 20392. *Set(e)mvres* 11652.

---

[1]) Pirson p. 100. Carnoy IV p. 194. 231.

[2]) Meyer-Lübke I § 458 (p. 384).

[3]) Körting n. 8618 (col. 879).

[4]) Carnoy IV p. 183. Ihm l. c. p. 67. Schuchardt I p. 143 sq. Niedermann, Rh. M. LX (1905) p. 460.

Rarius *ct* > *tt* assimilatur; sed etiam lingua Italiana et Raetica hac assimilatione utuntur [1]). Ita legimus [2])

oto Cagnat 06, 131. *Otavia* 548 = 11708. 16151.

viginti ceterique numeri denarii nonnulla praebent documenta accentus in antepaenultima et ultima syllaba positi. Ita *vinti* 8573 (iuxta *vigenti*). 16566, 7 ex *vígintí* ortum est, qui accentus sermone Latino [3]) et fortasse linguis Romanensibus postulatur [4]); neque scio an *nongnt*[*a*] 11154 ita explicandum sit, ut vocalis syllabae atonae (*nóngintá*) syncopa exciderit et *n̥* syllabae loco usurpata sit.

Cum littera *i* exitus *-inta* brevis fuerit [5]), *ẹ* pro *ĭ* scriptam legimus [6]) *vigenti* 8573 (? vide p. 1920). 14466. *sexagenta* 11899 [+].

Notandus est etiam numerus *qaragita* 12200 [+] propter *d* litteram amissam, fortasse ad *r* assimilatam; nam haec forma omnibus linguis Romanensibus postulatur, iis ipsis, quae *-dr-* nusquam mutant [7]).

quadracinta 8642 [405] scribitur permutatione *C* et *G* litterarum simillimarum.

mille ad analogiam numeri singularis etiam plurali per *ll* geminatas scriptum est *millibus* *858 [III. saec.]. *millium* 6944.

---

[1]) Meyer-Lübke I § 459 (p. 385). Körting n. 6658. 6659 (col. 699 sq.).

[2]) Ihm l. c. p. 67. Schuchardt I p. 135. III p. 70. Corssen I p. 42 sq.

[3]) Skutsch p. 162 sq.

[4]) Meyer-Lübke I § 601 (p. 494 sq.). — Formae *vinti* similiumque exempla afferunt Schuchardt II p. 461. 508. Ihm l. c. p. 69. Lindsay VI § 75 (p. 479 sq.). — *trinta*: Scheifler p. 32. Sed de hac re, cum haud facile formae legibus sonorum quae dicuntur ortae a formis analogia effectis distingui possint, adhuc sub iudice lis est; cf. I. Iud, Die Zehnerzahlen in den roman. Sprachen (Festschrift f. H. Morf., Halle 1905 p. 233), et quod ad hanc commentationem adnotavit Morf, Archiv f. d. Stud. d. neueren Sprachen CXV (1905) p. 453 sqq.

[5]) *„L' -i- di -gĭnti, -gĭnta è dimostrato, in linea collaterale, dall' o di -κοντα e dalla breve di tutte, si può dire, le altre favelle ariane, e, in linea discensiva, dallo sp. cuarenta ecc."* D' Ovidio, I reflessi romanzi di vīgĭntī . . . in Gröbers Zeitschr. f. roman. Philol. VIII (1884) p. 82 adn. 1.

[6]) Pirson p. 9. Ihm p. 69. 70. I. Iud l. c.

[7]) Gröber ALL V p. 125. Körting n. 7604 (col. 788). Meyer-Lübke II § 559 (p. 591). I. Iud l. c.

vel re vera per *ll* pronuntiatum est ab Africanis labdacismo illo laborantibus [1]).

Genetivus pluralis *melium* Cagnat *08, 245 [230] ad *ē* et *ī* permutatas pertinet.

secundus in nominibus propriis *n* ante dentalem deleta legitur *Secudus* 2063. 11858. *Sequda* 276.

tertius numerum iam assibilatione affectum [2]) invenimus *tersiu* 21642 [470], qui a forma linguarum Romanensium [3]) non longe abest.

quintus et *octavus* in nominibus propriis anaptyxi amplificata occurrunt: *Quinita* 16118. *Ocetavi* 6239.

B. De declinationibus permutatis sive de heteroclitis.

Cum linguae universae tum plebei sermonis est proprium vocum formas specie dispares, similes vi ac potestate per analogiam inter se exaequare, diversas notione, specie similes distinguere. Quomodo fit, ut illae formationes oriantur, quae a grammaticis heteroclita vel metaplasmi nominantur. Primo autem loco de heteroclitis discernendi causa formatis agam, deinde de ceteris.

§ 35.

a) De heteroclitis ad nominum motionem spectantibus.

Hac paragrapho tractabo ea substantiva et adiectiva, quorum exitu, sintne generis masculini an feminini, cum cognosci non possit in sermone litterarum, plebeius tamen sermo, qui omnia quam accuratissime significari vult, genera terminatione distinguit. Nominum propriorum praecipue hanc fuisse sortem manifestum est. Itaque videmus nominum in *-is* desinentium formam masculinam in *-us* novari:

Fortus 6085. 17274. *Hilarus* 33^{ies} [4]). *Natalus* 6666. *Sodalus* 6486. 6543.

---

[1]) Isid. Origg. I 32, 8. Pompei. comm. art. Donat. p. 286, 34.

[2]) Carnoy III p. 378 sq. Ihm l. c. p. 71.

[3]) Körting n. 9489 (col. 956).

[4]) *Hilarus* et *hilaris* formae pariter in litterarum sermone occurrunt

Inversa autem ratione ortum est nomen *Peregrinis* 15912. Huic formationi favit nominativus ille declinationis II. et in *-ius* et in *-is* exiens. Accedunt nomina

Aeschinus (= *Αἰσχῖνος*) 9344. *Communus* 11706 [1]). *Conventalus* 11605. *Elegantu* Audoll. 275, 7 [II. saec.]. 279, 9. *Eminentu* Audoll. 275, 16 [II. saec.] [2]). *Eutychus* (= *Εὔτυχος*) 9998. 16054. *20978 b 33 [107]. *Felicus* 3611. 9106. *Hermus* (= *Ἕρμος*) 5515 [275]. *Nicerus* 1233 (an non heterocliton, sed *o* et *u* permutatis declinationem servavit?). *Sacerdotus* 17642 (?).

Exitus *-is* femininus manere poterat, praesertim cum lingua Graeca similes plurimas praeberet; sed etiam adiectivi declinationis alterius femininum in *-is* formatur: *Castis* 5824 [3]).

Cum autem exitus femininus pervulgatissimus *-a* esset, ea terminatione nominum aliarum declinationum genus femininum indicatur, id quod factum esse demum verisimile est, postquam similia nomina masculina in *-us* transierunt [4]).

Antista [5]) 11119 [+].

caelesta 20744 [213] conici potest e dativo numeri pluralis *caelestabus*; quem ad analogiam vocis *deabus* terminatum esse apparet; tamen verum metaplasmum ad genus significandum spectantem subesse inde colligitur, quod etiam lingua Italiana vetustior heterocliton *celesto* iuxta *celeste* servavit [6]).

(Neue II p. 149), *Hilaris* in CIL VIII semel (198) legitur, ubi utrum sit nomen masculinum an femininum, neque praenomine neque cognomine apposito non constat.

[1]) *communus*, quae forma analogiam numeri *unus* videtur secuta esse, postulatur motione Francogallica et Provinciali vetustiore: *comuns-comune*, *comuna* (Schwan-Behrens, Gramm. des Altfranzösischen. [8] Lpz. 1909 § 306, 3 a p. 165).

[2]) Niedermann, Mélanges Saussure (= Collection linguistique p. p. la société de linguistique de Paris II). Paris 1908 p. 78.

[3]) Cf. formam more Graeco desinentem *Casthe* 10689 [+]. — *doctis* aliaque eius generis heteroclita collegit Roensch p. 274.

[4]) W. Meyer-Lübke, Die lat. Sprache in d. roman. Ländern. Gröbers Grundriss d. roman. Philol. II p. 483.

[5]) Pirson p. 124.

[6]) Canello, Gli Allotropi Italiani. In Archivio Glottologico Italiano III (1878) p. 398.

Campestra 12937.
coniuga[1]) 5370. *coniuge* (? terminatio Graeca?) 20551. *Coniuga* 1757. Non constat de *coniuge sue* 2210. *digne c[o]n[iu]ge* 2458 (cf. sub attr. form.).
Dulca 9052. 9061 forsitan quis coniciat ex *Cassiae Dulcae* et *Tulliae Dulcae*; sed nescio an attractione formali orti sint casus dativi[2]).
Felica 6228. 6361. 6691.
Hilara 17^ies^.
Hospita 2876. 3369. 3622. 7278. 7298. 7492. 7600. 7777. 8399. 9130. 20788. 21242. *Ospita* 3778. 5909.
innoxa 14228 [+] contaminatione ex *innox* nominis forma in titulis aetatis labentis usitatissima (cf. 8636 [+]. *innos* 14125 [+]) et *innoca* < *innocua* (cf. 1086 [+]. 13275) videtur ortum esse.
lea Cagnat 04, 19; quamquam non insuetum vocabulum est sermoni poetico, nusquam inveni ad ministram Mithrae significandam, cuius semper *leaena* nomen est.
martura 18002 [+] sequitur ex dativo *marture Salvae Fortunae*, nisi subest attractio formalis.
miserabila 12120 an colligi possit ex *miserabile mortis*, valde dubito; immo vero *s* finali amissa *ĭ* > *ĕ* mutatam esse censeo.
nura 2604. 4293 reicitur ab App. Prob. 169: *nurus non nura*, et sola haec forma superstes est in linguis Romanensibus[3]).
sacerda[4]) 3307. 10575. Dessau 4467.
sacerdota 10580 non certum est, cum dativus *sacerdote publicae* attractione formali ortus esse possit[5]).

---

[1]) Schuchardt II p. 88. Roensch p. 519. Georges Wtf. s. v. coniunx (col. 163). ThLL IV 321, 71.

[2]) Tamen formae Francogallicae et Provinciales vetustiores *dolz dolce* et *dolz dolza* motionem vulgarem *dulcius dulcia* probant (Schwan-Behrens, Gramm. d. Afr. § 306, 3 a p. 165).

[3]) Körting n. 6616 (col. 696). Huius et *socra* nominis exempla multa collegerunt Neue I p. 891 et M. Niedermann, Recueil des travaux p. p. la Faculté des Lettres. Neuchâtel 1905 p. 34 sqq.

[4]) Cf. *sacerdus* Rönsch p. 519. Schuchardt II p. 100. III p. 197.

[5]) Schuchardt II p. 88.

socra *14683 c 11 [185]. 1213. 2906. 3994. 4725. 11619. 13092. 16633. 20796. 21257 ab App. Prob. 170 reprehenditur: *socrus non socra*, et sola haec forma servatur linguis Romanensibus [1]). (*socrui* 2033).
sodala 3762. 21071. *Sodala* 6503. 7728. (*Sodalis* 22[ies]. *Sodales* 7178) [2]).

b) De ceteris heteroclitis.

Hoc loco satis magnum numerum tractabimus exemplorum declinationum confusarum, quae effecta sunt associatione quae dicitur sive significationum sive formarum. Ea autem ratione progrediamur, ut singularum declinationum permutationes deinceps perlustremus.

§ 36.

1. Declinatio I. et neutra.

Posterioris latinitatis neutrum plurale ubique in femininum singulare declinationis primae transisse linguae Romanenses testantur [3]). Titulorum Africanorum exempla inveni haec: *castram* 9725 = 21531 [339]. *10937 [375/8] = *20566 [4]).

E contrario nomina declinationis I. in neutra transierunt velut *parsimonium* 152 [II./III. saec. c.] [5]). At substantivum *nundinium* 4508 [202] ex adiectivo **nundinius* videtur factum esse.

§ 37.

2. Declinatio I. et III.

α) Ut neutrius pluralis ita singularis terminatio *-a* declinationis tertiae Graecae ad vocabulum secundum declinationem I.

---

[1]) Körting n. 8835 (col. 897). Alia huius nominis excempla enotaverunt Pirson p. 123. Carnoy V p. 349. VI p. 347. Bonnet p. 355.

[2]) Schuchardt II p. 88.

[3]) Uberrime de neutris pluralibus et quomodo in usum venerint et quomodo in feminina transierint, agit Appel p. 14—34. Löfstedt p. 134 sqq. Cf. Joh. Schmidt, Die Pluralbildungen der indogermanischen Neutra. Weimar 1889 p. 22.

[4]) Inde a Plauti aetate: Appel p. 52. Diehl p. 198. Roensch p. 520. Konietzny p. 304. Poukens p. 155.

[5]) Appel p. 11. 78.

flectendum facile illicere poterat[1]); itaque legimus *diploma* (abl.) 1027 [saec. II. exeuntis. c.], ad quam formam Wilmanns adnotavit: *De diploma ablativo monuit M. Haupt, vocabula in -ma exeuntia originis Graecae iam satis antiquo tempore genere feminino usurpata esse ut 'schema syrma diadema dogma glaucoma' Priscian. VI 7 (vol. I p. 199 H., cf. etiam Corssenium, Krit. Beiträge zur lat. Formenlehre p. 495), 'incomma' Vegetius mil. I 5 aliaque; Mommsenus singulari numero offensus — exspectatur enim diplomis vel diplomatibus — interpretari mavult tamquam compositum diplomacircavi.*

β) Duo nomina abstracta declinationis III. in *-tus* exeuntia exitu *-a* efferuntur iam optima aetate: quorum *iuventa* 9142 [c]. 15987 [c] formam ab linguae Indogermanicae quae dicitur aetate hunc exitum servavisse Brugmann[2]) affirmat semperque iuxta *senectus* viguisse; ad has analogias et *senecta* 1423 [+]. 9519 [c] et *senectus* formata esse. *senectus* in linguis Romanensibus emoriebatur[3]), et *senecta* in quibusdam dialectis Italianis superest[4]); *iuventus* autem in plurimis linguis Romanensibus servatur[5]), *iuventa* forma sola in lingua Francogallica et Provinciali[6]).

γ) Proprietas vulgatissima sermonis vulgaris erat nominum declinationis primae in *-e* (*-es*, *-a*) desinentium stirpem in casibus obliquis *n* littera inserta amplificatam tertiae declinationis casibus efferre[7]). Ita legimus

Zoeni 4351 [III. saec.]. *Niceni* 20715. 21880. *Pasipaenis* 5677. *Pullaeni* (?) 22644, 276. [*Th*]*repteni* 21322. *Tuceni* 4111. *Bargyddeni* Cagnat 04, 15. *Codenis* 19242. *Mangeddeni* 10785. 18677. *Masidenis* 16749. *Namgidenis* 15794.

---

[1]) Appel p. 66—73. W. Meyer (-Lübke), Die Schicksale des latein. Neutrums im Romanischen. Diss. Hall. 1883. Bonnet p. 364. Pirson p. 156. Eistert p. 37. 46.

[2]) ALL XV (1908) p. 7.

[3]) Meyer-Lübke II § 494 (p. 538).

[4]) Archiv. Glottol. Ital. XIV p. 214 (Körting n. 8604 (col. 877)).

[5]) Körting n. 5240 (col. 565).

[6]) Meyer-Lübke II § 17 (p. 22).

[7]) Pirson p. 142 sq. Carnoy V p. 360. Bindel p. 46 sqq. Hehl p. 49 sqq. Schuchardt I p. 34. Roensch p. 264. Sievers p. 83 sqq.

Nonnunquam nomina invenimus in *-anis* pro *-enis* desinentia [1]):
Fastilanem 1072 add. *Cotuzanis* 5218. *Iaptanis* 17200 (*Iapthae* 17029). *Saccanis* 10485.

Quae nomina heteroclita quomodo orta sint, valde dubium mihi videtur esse, neque dubitationem Hehlii explicatio summovere mihi poterat; is enim *n* litteram stirpi insertam ex illa prisca stirpis amplificatione *-n-* ope formata originem ducere censet, sed coniecturam documentis parum fulsit. Itaque quamquam unde haec *n* sumpta sit nescio, id mihi cum Hehlio videtur constare, stirpem ita amplificatam esse, quod nomina declinationis I. Graecae in *-ē* exeuntia integra ulli declinationi Latinae adaptari non poterant.

Nomina in *-anis* desinentia ad analogiam eorum, quae modo tractavimus, orta esse existimo; ut enim illa ad nominativum in *-e* cadentem, ita haec ad nominativum in *-a* finientem referenda sunt; etiam nominum Latinorum in *-o* exeuntium (velut *Nero, Neronis*) exemplum ad ea valuisse verisimile est. Sed haec nomina an cum declinatione Francogallica vetustiore, quae casum obliquum in *-ain* terminat, continuo progressu cohaereant, non perspicuum est; nam I. Iud [2]) demonstravit hanc declinationem finibus linguae Germanicae contineri; quamquam negari non potest declinationem illam Germanicam ideo tantum valuisse, quod ei iam proprietas sermonis vulgaris respondebat.

Huc etiam formae [3]) *Hermetis* 12727. *Hermeti* 2317 = 17797. 21132 pertinent quae ex nominativo in *-es* exeunte secundum nomina tertiae declinationis, quae et parisyllaba et imparisyllaba declinantur (cf. § 26, 1, γ), stirpem *t* littera auxerunt.

Exemplum nominum casibus obliquis *n* litteram inserentium etiam nomen declinationis quintae sequitur [4]): *Speni* 7427. 7525.

---

[1]) Carnoy V p. 362 sq. Bindel p. 55. Hehl p. 58.

[2]) Iacob Iud, Recherches sur la genèse et la diffusion des accusatifs en *-ain* et en *-on*. Thèse de Zurich. Halle 1907. Is p. 4 sqq. de commentationibus hanc quaestionem tractantibus, quae adhuc prodierunt, rettulit; sed parum mihi videtur in libri parte priore, quam adhuc inspicere potui, declinationis vulgaris vere Latinae rationem habere.

[3]) Pirson p. 140. Carnoy V p. 361. Bindel p. 52. Sievers p. 58 sq.

[4]) Bindel p. 55 sq. Hehl p. 54 sq.; cf. nomen linguae Italianae vetustioris *spene*: Meyer-Lübke II § 5 (p. 10).

Ispeni 3230. Et a stirpe amplificata derivata sunt nomina *Speni(ca)* 3098. *Spenika* 3577. *Ispenica* 5245.

δ) *cathedrebus* *828 [III. saec.] dativus pluralis quibus modis ortus esse possit, M. Hoffmann l. c. p. 101 sq. satis disseruit.

§ 38.

3. Declinatio I. et V.

Primae et quintae declinationis inde ab antiquis temporibus vicissitudinem fuisse constat. Itaque in nostris quoque titulis nominum quintae declinationis formas in *-a* exeuntes legimus:

luxuria 212, 24 [ca. 150. c.] [1]. *effigia* *2581, 4 [ca. 167] [2]. *inluvia* *8480 [388/92] [3].

Quomodo iudicemus de ablativis numeri pluralis *dis* 21574 [+ 433]. 21573 [+ 434] non plane liquet; nam attractione formali orti esse possunt antecedente *annis* vel per compendium scripti sunt vel constructione corrupta ut accusativi explicationem habent. Atque id veri simillimum videtur esse, accusativum vulgarem *dis* iuxta ablativum *annis* esse adhibitum, quod ambo eodem exitu terminari videbantur [4]. Tamen nihil obstat quin eos ad nominativum **dia* pro *dies* referamus, praesertim cum haec vox in latinitate posteriore saepissime genere feminino usurpata sit [5]) et ambae formae **dia* et *dies* linguis Romanensibus postulentur; ita enim *ziuă* et *zi* lingua Romanica, *dia* et *di* Italiana, *die* et *di* Francogallica vetustior, *dia* et *di* Provincialis, *dia* Hispaniensis et Lusitana praebent [6]).

§ 39.

4. Declinatio II. et III.

α) Cum nominum in *-er* desinentium pars secundam, pars tertiam declinationem sequeretur, confusionem facile fieri potuisse

---

[1]) Neue I p. 561. 564. Schuchardt I p. 252. Bonnet p. 349.

[2]) Neue I p. 568. Georges Wtf. col. 237. Schuchardt I p. 251. Roensch p. 259.

[3]) Ad hanc formam pertinet linguae Italianae nomen *loja*, si recte *inluvies* fundamentum posuit Caix, Studj di etimologia italiana e romanza. Firenze 1878 n. 43 (p. 32); quae sententia ab aliis impugnatur, cf. Körting n. 4723 (col. 529).

[4]) Eandem iam dixit sententiam Löfstedt p. 56.

[5]) Löfstedt p. 192 sqq. ThLL V 1024.

[6]) Meyer-Lübke II § 29 (p. 39). Körting n. 2958 (col. 350 sq.).

apertum est. Itaque non modo legitur dativus *genero* velut 3925. 4385. 15806 et nominativus pluralis *generi* 21127, sed etiam dativus *generi* 3708 et nominativus pluralis *generes* 3492. 7928 [1]).

β) Hoc loco quamvis dubitanter casus genetivos *patri matri fratri* afferam; quorum

matri *17837 [193/211]. *2528 [198]. *2549 [198]. *2712 [198/217]. *2557 = *18050 [203]. *4323 = *18528 [208]. 9586 [+]. *patri* *4517 = *18644 [ca. 250]

constructione interrupta vel contaminatione quadam facta dativos quispiam esse dixerit [2]); de *fratri* *5699 [197] *s* finalis propter spatii exiguitatem elisa esse potest vel attractionem illam formalem habemus, cum vocabulum insertum sit inter genetivos in *-i* exeuntes — quae explicatio fortasse quadrat etiam in *patri* *10894 = *20153 [204/5]. *19693, 24 [205]. 2309 [+] = 17759.

In *frati sui* 9950 genetivo elisio *s* finalis ad sandhi pertinere potest.

Neque in illis titulis *s* finalem propter debilem pronuntiationem excidisse vel constructionem permutatam esse facile sumemus, cum plurimi tituli publice positi sint. Ac ne dativos quidem casus sensu possessivo usurpatos [3]) has formas existimabimus, cum semper iuxta casus certe genetivos sint collocatae. Itaque nihil restat nisi ut has voces metaplasmum subisse statuamus. Plurimi autem genetivi sunt titulorum Septimii Severi et Caracallae imperatorum, iique in vocibus consuetudine coniunctis velut

matri Augustorum *17837 [193/211]. *2528 [198]. *2549 [198]. *2712 [198/217]. *2557 = *18050 [203]. *matri castrorum* *4323 [203]. *patri patriae* *10894 = *20153 [204/5]. *19693, 24 [205]. *4517 = *18644 [ca. 250].

Mater utique nomen a metaplasmo non abhorrere testantur exempla satis multa [4]); tamen, cum omnia in Gallia reperta

---

[1]) Roensch p. 262. Neue I p. 789.

[2]) Poukens p. 165 sqq.

[3]) Alfred Westholm, Étude historique sur la construction du type „li filz le rei“ en français. Diss. Uppsala 1899 p. 2—5.

[4]) Pirson p. 123. Neue I p. 443. Georges Wtf. s. v.

nesciam an contaminatione vocis Celticae *matra* orta [1]) illius provinciae sint propria, de metaplasmo vere Latino nihil probare possunt.

Pater in casu dativo exit in *-o*:

Iani patro 2608, quod errore lapicidae pro *Iano patri* videtur scriptum esse; Ianus autem casum dativum terminat *Ianui* CIL X 4660 et libr. pontif. Fest. s. v. ‘opima’ p. 189 (Müller), [*I*]*ani patri* Dessau 4473 a.

patro optimo 3215 (ad attractionem formalem referendum?)

patro CIL VI 35795.

γ) *Iovo* 8247 male legitur; videsis quod adnotavit editor: „*aut Iovo aut Iano*“ [2]).

δ) Dativus pluralis *dibus* 7505. 21294 = *dis* [3]) dictus est per vim dativi insequentis *manibus*; ratione inversa legimus *dis manis* 10797 = 18734 [4]). Ad dativum *avibus* 4669 = *avīs* valuerunt formae ut puta *parentibus*; *filibus* 21553 [+ 434]. 21810 simili analogia et per vim dativi *filiabus* ortum videtur esse.

alvibus *828 [III. saec.] *i. e. alveis (cf. cathedrebus v. 9) eleganter coniecit Mommsenus, . . . ectypo inspecto lectio magistri satis probabilis visa est* (adnotavit Wilmanns).

ziatonibus 1342 = 14879 nescio ad quam analogiam formatur a nominativo *diatonus*; recte legitur *diatonis* 1273.

ε) Genetivi plurales ad analogiam declinationis secundae formati leguntur

missiliorum *895 [239]. *laqueariorum* 1183. *Liberaliorum* *14783 [5]),

quorum nominativi plurales in *-ia* desinentes facillime cum neutris declinationis alterius nominum substantivorum in *-ium* vel adiectivorum in *-ius* exeuntium confundi poterant. *demoni-*

---

[1]) Holder, Altkelt. Sprachschatz s. v. *mātrā*. Ihm, Der Mutter- oder Matronenkultus und seine Denkmäler. Jahrb. d. Vereins v. Altertumsfreunden im Rheinlande. LXXXIII (1887) p. 8 sq.

[2]) Sed cf. *Dito patri*: Archaeologiai Ertesitö 1907, p. 120.

[3]) Pirson p. 126. Carnoy V p. 346 sqq. Roensch p. 262. Heraeus p. 44. CIL VI 98. 224. II 325. 4496. XI 1920.

[4]) CIL VI 26849.

[5]) Neue I p. 433.

orum Audoll. 251 b [II. saec.], quem genetivum Audollent cum Graeco *daemonum* comparat, ad *δαιμόνιον* referendum est.

marterorum 7924 [+] ideo magni momenti est, quod in lingua Provinciali servatur sub forma *Martror* [1]) vel *Marteror* [2]), quod nomen diem festum omnium martyrum (= Francogallicum *Toussaint*) significat.

§ 40.

5. Declinatio II. et IV.

Secundae et quartae declinationis, qua erant similitudine terminationum, facile confusionem fieri potuisse dilucidum est; qua de causa hae declinationes iam aetate archaica permutatae in linguis romanensibus in unam confluxerunt. Haec inveni exempla:

α) declinationis II. quae transiit in IV.:

rogus (gen. sg.) 9392. *paradissu* 13603 [+] (nisi ad *o* et *u* permutatas pertinet).

β) declinationis IV. quae transiit in II.:

domi 2597 (vere genetivus) [3]). *domorum* 2297. *senati* (genet.) *2637 [158] [4]). *portici* (genet.) *12457 [5]). *ispirito* (dat.) 8191 [+] [6]). *magistrato* (dat.) *12421 [7]). *versorum* 2005 add. [8]). *antigrados* 7994 [9]). *sumptos* 10970. *sumtos* Cagnat 04, 215. *exunto* (= *sumptu?*) 2079. *suis sumtis* 21481 [10]). *impetos* Audoll. 288 b 6. 289 b 7 [11]). *cornuo* 16566, nisi scriptum est a lapicida dubitante, utrum *u* an *o* insculperet, vel contaminatione ortum est ex *cornu* + *cornum*, quod

[1]) M. Raynouard, Lexique roman IV p. 162.

[2]) Emil Levy, Provenzalisches Supplementwörterbuch V p. 133.

[3]) Carnoy V p. 345.

[4]) Saepissime cf. Pirson p. 127. Roensch p. 262. Neue I p. 537. 539. Buecheler § 39 (p. 19 sq.). Sommer § 235 (p. 421).

[5]) Carnoy II p. 134. V p. 349. Schuchardt II p. 189. Roensch p. 261. Bonnet p. 356.

[6]) Pirson p. 127. Schuchardt II p. 188. Roensch p. 261.

[7]) Schuchardt II p. 189. Roensch p. 261.

[8]) Bonnet p. 357. Neue I p. 782.

[9]) Schuchardt II p. 189. Roensch p. 261. Bonnet p. 357. Neue I p. 781.

[10]) Schuchardt II p. 188. Roensch p. 262. Georges Wtf. s. v.

[11]) Schuchardt II p. 189.

apud scriptores saepius invenitur [1]), vel ex numero plurali *cornua* nominativus singularis **cornuum* reformatus est.

Attractione formali *u* finalis in *o* permutari potuit in

secundum iusso tuo *14428 [181]. *meo rito* 13134, 17. *in salto* [2]) *Philomusiano* 14603.

Genere permutato, cum masculinum et neutrum pronuntianti eundem fere sonum redderent, sequentium nominum nominativus ex accusativo denuo formatus est:

lacum quod *2631. *de laco* Lex Manc. I 27 [193/210]. *cursum* 21179, 5 [c]. *aquae ductum* *2728, 64 [ca. 152] [3]). (*aquae ductus* *8809 [244/8]). *terrae motum quod* *2481 [267] [4]).

§ 41.

6. Declinatio III. et IV.

os, *ossis* nominativo plurali ut de stirpe *ossu*, quae commemoratur a Charisio p. 139, 4 et a Prisciano I p. 254, 6 (= VI 69), dicitur *ossua* 4637 = 16821. 10001. *osua* 19228. 20371 [5]).

frater genetivum pluralem in *-uum* finit: *fratruum* 4202 [213]. 9585 [+ c] [6]). Neque autem hoc verum esse heterocliton puto, sed scripturae proprietatem ad analogiam vocabulorum declinationis quartae, ubi exitus *-um* et *-uum* simul reperiuntur; nam in titulo 9585 *fratruum* duabus syllabis contineri metro cognosci posse videtur:

Eclésia frátruum || *húnc restítuit títulúm.*

sensus ad stirpes declinationis tertiae videtur transisse, si legimus *im sensem* Audoll. 268.

§ 42.

7. Declinatio III. et V.

Nomina in *-es* cadentia tertiae et quintae declinationis modo hanc modo illam secuta esse manifestum est. Iam Africanis

---

[1]) Neue I p. 529 sq.

[2]) Bonnet p. 135.

[3]) Ars Aspri in Anecd. Helv. 47, 11: *cavendum est ne quis dicat grada, carra, aquaeducta.* Cf. Appel p. 103 et 104 s. v. *ductus*.

[4]) CGl II 430, 25: *hoc terrae motum.* Cf. App. Prob. 159: *terrae motus, non terrimotium.*

[5]) Roensch p. 260. Bonnet p. 363. Neue I p. 532.

[6]) Roensch p. 519. Cf. *patruum* CIL XIV 374, 15.

inscriptionibus aetate priore formae velut genetivi *plebei* *971 [III. saec.]. *2392. *7049. Cagnat *08, 237. *plebi(s)* *11 810 [ca. 237?] et dativus *plevi* *828, 14 [III. saec.] simul leguntur.

requie ablativus occurrit in titulo *646, 13 [c]; *reque* 14 250 [+]. *requiem* 9170 [c]; declinationis tertiae nullum repperi exemplum [1]).

§ 43.

C. De generibus permutatis.

Cum de generum permutationibus, quae simul cum declinationibus permutatis factae sunt, iam iis paragraphis egerim, quae sunt de heteroclitis, restat ut cetera titulorum Africanorum afferam exempla, quae intra declinationem suam ex analogia plerumque formali aliud genus assumpserunt.

a) Cum nominum in *-es* exeuntium alia generis masculini, alia feminini essent, *sedes* substantivum in titulis 2401 et 4120 genere masculino falso usurpatum esse non est mirum.

b) Plurimae autem generis commutationes inter masculina in *-us* et neutra in *-um* desinentia factae sunt, et neutra fere omnia haec in linguis Romanensibus, quae genere neutro substantivorum carent, in masculina transisse satis constat. Quod quomodo fieri potuerit, Diehl p. 196 explicat: *accus. casus singularis declinationis alterius generis masculini et neutrius in -um terminatur: ex accusativo casu qui nominativum restituere voluit, utrum sumeret formam in -us an in -um, plane ignorabat.* Itaque Fortunatianus auctor ille artis rhetoricae suis temporibus (saec. IV.) Romanos vernaculos neutra plurima genere masculino adhibuisse tradit [2]). Legimus autem

1. masculina pro neutris:

castellum (acc.) *quem* 8426 [213] [3]). *posticius* *5352 [539. c.] [4]).

---

[1]) Multa exempla e libris collegit Neue I p. 848 sq.

[2]) Ars rhet. 3, 4 (Rhetor. Latin. ed. Halm 123, 9).

[3]) Appel p. 83. Roensch p. 266. Neue I p. 793.

[4]) Cf. editoris adnotationem: *posticius . . . nominativo pro accusativo posito . . generibusque permutatis est posticium, id est (ut explicant glossae) παράθυρα sive posterula, ut Romae aevo labente appellabatur.*

albus 2403. *artificius* 15597 [1]. *colegius* 1878 [2]. *fatus* 3319 [c] [3]. *ingenius* 15597 [4]. *monimetus* 11751 [5]. *cum templum* *9796 [6]. *vernus* 12588 [7]. *votum* (acc.) *quem* 5667. 8248 [8].

2. masculinam formam iuxta neutrum:

miserabilis corpu 5488. Tamen dubitari potest an *corpus* dicatur genere masculino [9] an *miserabilis*, cum *s* debiliter efferretur, scriptura inversa pro *miserabile* scriptum sit, velut *leve* ad femininum refertur in titulo 9458: *sit tibi terra leve* [10].

corium perfectus *4508 [202] [11] genere permutato priorem scripturam videtur servasse.

3. neutra pro masculinis:

annu quod Cagnat 09, 123 (lectio incerta). *cantharum* *6982 [12]. *nervia* Audoll. 287 a. 288 b 6. 289 b 6 [13]. *titula tanta* Cagnat 06, 37 [14]. *tumulum* 11597 [15].

c) *Tartara* pluralis, qui tota latinitate secundum exemplum Graecum in usu erat, occurrit 9690 [c.] 19525 b.

d) *humus* dicitur genere masculino 684 [+] [16].

---

[1]) Cf. *aedificius* Appel p 84. *beneficius* Appel p. 89.

[2]) Appel p. 80. Diehl p. 197. Konietzny p. 301.

[3]) Appel p. 86. Pirson p. 155. Diehl p. 196. Konietzny p. 301. Neue I p. 797. Heraeus p. 42, qui personificationem quandam subesse censet.

[4]) Bonnet p. 514.

[5]) Appel p. 87. Carnoy V p. 350. Diehl p. 196. Konietzny p. 301. Neue I p. 807 sq.

[6]) Appel p. 88. Roensch p. 266.

[7]) Appel p. 98.

[8]) Appel p. 88.

[9]) Appel p. 99. Bonnet p. 513. Diehl p. 196. Konietzny p. 301.

[10]) Cf. *caeleste sacerdos* Carnoy II p. 88.

[11]) *corius* generis masculini iam apud Plautum et Varronem: Appel p. 80. Neue I p. 219 sq. ThLL IV 951, 78 (ubi hic locus deest). Poukens p. 161.

[12]) Appel p. 103.

[13]) *nervium* fundamentum est vocum Romanensium *nerviu, nervio, nierro* al. Cf. Gröber ALL IV p. 132. Körting n. 6520 (col. 688). Heraeus p. 43.

[14]) Appel p. 106. Diehl p. 197. Konietzny p. 303.

[15]) Appel p. 106. Bonnet p. 508. Diehl p. 197. Konietzny p. 303.

[16]) Neue I p. 970 grammaticorum et librorum exempla collegit.

e) *cor* genere masculino usurpatur *cor qui* 10705 [+], et linguis Romanensibus, utique Italiana, postulari a Meyero p. 98 [1]) affirmatur.

f) *pulver* neutrius generis substantivum e casibus obliquis reformatum apparet in titulo 7277: *haec via tale pulver habet;* nam etsi *m* finalis vocis *talem* decidisse potest et *-em* syllaba substantivi *pulverem* synaloepha dempta esse, tamen generis permutationem subesse verisimile est, quod linguae Romanenses neutrum *pulvus* vel *pulver* postulant [2]).

g) Diiudicari non potest de formis [3])

dulce somnum Audoll. 289 b 16. *omnem remedium*, *omnem filacterium*, *omnem tutamentum*, *omnem oleum* Audoll. 250 a. *per marem* Audoll. 250 a,

quia vel *m* infirmam deiecisse vel *m* paragogica auctae esse possunt.

h) Ex accusativo numeri singularis prodiisse patet nominativum singularem neutrius generis *felicem* in titulo *14683 [185]: *quot bonum faus*[*t*]*um felicem;* ut enim una forma casus nominativi trium generum munere fungebatur, ita etiam casus accusativus uno exitu terminabatur: *felicem*; tum ex accusativo *felicem* generis neutrius nominativus *felicem* sumptus est. Accedit quod huic formationi favit analogia adiectivorum in *-us*, *-um* desinentium, quae accusativum singularem generis masculini et neutrius et nominativum neutrius generis in eandem terminationem finiebant.

De ceteris adiectivis declinationis tertiae in *-is*, *-e* desinentibus, quae nominativum et accusativum singularis numeri generis neutrius in *-em* pro *-e* terminant, cum plerumque cognosci non possit utrum *m* paragogicam assumpserint (attr. form.?) an generis substantivi permutatio subsit, vide E. Diehlium p. 194 sqq. (cf. supra sub g)).

---

[1]) W. Meyer (-Lübke), Die Schicksale des lat. Neutr. im Romanischen. Diss. Hall. 1883.

[2]) Gröber ALL IV p. 452.

[3]) Poukens p. 161 sq.

Caput III.

De comparatione.

Iam ad paucas adiectivorum comparationis proprietates tractandas transeamus. Formas autem superlativas in *-isimus* pro *-issimus* exeuntes, quae nihil sunt nisi scripturae proprietates, hic afferre supersedeo.

§ 44.

I. De gradu comparativo.

a) Primo loco affero comparativum adverbii *plus* ope formatum [1]) *plus gratus* 2662 [c], qui in litteris ab Enni temporibus raro occurrit [2]) et in linguas Romanenses nonnullas transiit.

b) Magni autem momenti est comparativi gradus forma *pus* 67 [+] ideo, quod lingua Provincialis et Catalanica eandem praebent formam. At vero hoc unum exemplum tituli nostri idem esse ac linguarum Romanensium probari non potest. Neque autem *pus* ex *postea* neque ex *post* cum aliqua veri similitudine potest derivari [3]). Itaque, si recte exaratum est *pus* in titulo, hanc formam esse verum fundamentum vocis Romanensis non negabimus. Sed quomodo orta sit, non ita liquet. Nam *l* litterae post consonam in sermone Latino omissae alterum non habeo exemplum; cum autem *plus minus* saepissime coniunctum ante numerum ad idem quod est *circa* significandum usurparetur, forsitan suspicemur vocis corpus ante ipsum accentum, quam sortem pronomina et verba auxiliaria quae dicuntur subierunt, correptum et minutum esse; vel *plus* litteram *l* primo ante vocabulum a *pl* incipiens dissimilatione elisisse potest, quam mihi coniecturam C. Appel, professor illustrissimus, proposuit.

c) Notanda videtur esse forma *meno* 16307 [4]), quae *s* finali

---

1) Roensch p. 278. Bonnet p. 451. Scheifler p. 49. E. Woelfflin, Latein. u. roman. Comparation. Erlangen 1879 p. 29 sq.

2) Woelfflin ALL I p. 99 sq.

3) Körting n. 7270 (col. 761).

4) Pirson p. 9. Cf. *menos* Pirson p. 47.

omissa *u* et *o* atque *i* et *e* permutatis orta est, cum plane iam reddat formam Italianam.

d) *plu min*(*us*) 9982 [416] et *plu m*(*inus*) 9752 [450] per compendium scripta esse patet [1]).

§ 45.

II. De gradu superlativo.

a) Terminatio superlativi, cum prioris syllabae vocalis inter *i* et *u* sonaret, *-umus* scribebatur more antiquo [2]) in

karissume 21805 [359]. *optuma* (*-ae, -i, -o*) 319 [+]. 646, 5 [c]. 4008. 4128. 9264. 10523. 16325. 21358. *ultuma* 21146 [+]. *amantissumae* 21295. *indulgentissuma* 21840. [*inno*]*centissum*[*ae*] 21815. *maxuma* 646, 7 [c]. *piissumi* (*-ae, -o*) 21265. 21815. 21840. *proxumis*·(*-os*) Lex Manc. II 26. IV 16.

Saepissime etiam in nominibus propriis *u* antiquam servatam esse consentaneum est:

Postumus 7044 [198/217]. 5577. *Postuma* 975. 5021. 5069. 6017. 7109. 21577 (*Postimus* 3901. 11853. *12003. *Postima* 5453. 5454). *Maxumus* 9962. 19884. *Maxsumus* 17353. *Maxuma* 11962. 21246.

b) Nonnulla inveniuntur exempla *u* vel *i* litterae ex syllaba paenultima atona syncopa elisae:

gratiosismo *10570 [180/3]. *carismo* 2402. *Maxme* 2110.

Neque vero huc pertinet *opitmo* 2221 [+], quod propter sequiorem aetatem non licet comparare cum *opitumus* forma antiquiore [3]); sed lapsui quadratarii et illa forma et *otpim*[*i*] 3892 tribuenda sunt.

c) Accedunt duae formae mirum in modum compendiatae *glorisimo* *22631 [270/5]. *Felixima* 12930, quae, si quidem sermonis, non scripturae proprietates sunt, ita explicari possunt: *Felix*, quod nomen aevo labente *felis* pronuntiabatur (cf. § 20, 1), exemplum adiectivorum parisyllaborum in *-is* desinentium secutum, ut *tristis tristissimus*, ita **felissimus* gradu superlativo dicebatur;

---

[1]) E. Hoffmann p. 20. Proskauer p. 103.

[2]) Pirson p. 37. Carnoy II p. 150 sqq.

[3]) Neue II p. 207. Skutsch p. 41.

x autem scriptura *Felixima* eo facilius servata est, quod *x* et *s* eundem fere sonum reddebant. In forma *glorisimo* primum altera *o* elisa dubitationem movet; an dissimilationem duarum *o* litterarum subesse opinemur? Iterum dissimilatione syllabica *glorisimo* < *glor⟨is⟩issimo* ortum esse potest.

d) *pius* gradu superlativo in longe plurimis titulis Africanis dicitur *piissimus* (303^{ies}) vel *pissimus* (10^{ies})[1] vel *piisimus* 1440. 21314 vel *pisimus* 3721. 4540. 21169. 21656; *pientissimus*, quae forma alibi pariter vigebat[2], 35^{ies} occurrit.

e) Adiectiva in *-ficus* exeuntia quamqum comparativo vel superlativo gradu ex participiis formato in *-ficientior* et *-ficientissimus* terminari debent, ad analogiam adiectivorum cum *-dicens* et *-volens* compositorum terminationes *-ficentior* et *-ficentissimus* assumpserunt. Unum autem exstat exemplum, quo ille exitus traditur[3]:

. . . | *ficientissim* | . . . *2239 = *2469 = *17958 [166].

Caput IV.

De coniugatione.

Coniugationum Latinarum videmus magnas permutationes oriri, quae eo pertinent ut linguae Romanenses alio modo personas, tempora, genera verborum significare cogantur; nam syllabis ultimis atque atonis plus minusve deletis personae non iam ipso exitu satis exprimebantur; eadem de causa tempora permixta in novam rationem formari necesse erat, item genera; deponentia in activa transibant. Ac ne ipsae quidem coniugationum classes manere poterant; verba enim vel quantitate neglecta vel associationibus et formarum et significationum mutata alias declinationes sequebantur.

---

[1]) Carnoy III p. 38. Roensch p. 279.

[2]) Carnoy VI p. 328. Roensch p. 279. Neue II p. 208 sq. Hülsen, Philol. 56 (1897) p. 385 sqq. Heraeus ALL XII p. 63.

[3]) Cf. substantiva *munificientia* 11034, 6 et *honorificientia* Wilmanns, Ex. Inscr. Lat. 2857, 16. 21. [260].

Quae permutationes quomodo fieri coeptae sint, iam sermone Latino aetatis sequioris statuere possumus atque ita eas contemplemur, ut primo loco de verborum stirpibus agamus, tum de terminationibus, deinde de generibus, coniugationum denique classes permutatas tractemus.

A. De stirpium verborum commutationibus.

§ 46.

a) de stirpibus temporis praesentis.

1. Verba in *-eo* et *-io* exeuntia, cum et *-ĕ-* et *-ĭ-* vocalis, quae in hiatu est, sermone aetatis sequioris ut semivocalis (*i̯*, j) pronuntiaretur, facile inter se commutata sunt:

α) *-io* pro *-eo*:
abias (= *habeas*) 12505 a. b. = Audoll. 228. *αβιατ* Audoll. 270, 8 [II. saec.] = Dessau 8757. Ad primae personae indicativi et totius coniunctivi praesentis analogiam formatur altera persona: *abis* 9277 (bis); itaque tempus praesens verbi *habendi*, praesertim cum *e* vocalis extremae syllabae correpta a sono *i* haud multum afuerit, sequi videtur declinationem tertiam vel quartam [1]). — *valiat* Audoll. 223 a.

β) *-eo* pro *-io* [2]):
perficeatis Audoll. 247 = Dessau 8755. *percipeat* Lex Manc. II 28.

γ) *-uo* pro *-io* in verbo *facuas* Audoll. 303 I 5, quamquam verba in *-uo* exeuntia aetate posteriore saepius formantur, mendum videtur esse in lamina „mendis innumeris corrupta", cum neque aliis exemplis neque linguis Romanensibus haec scriptura probetur neque post *c* consonam illo tempore assibilatam *u* scriptam esse verisimile sit.

---

[1]) Ita verba *habere* et *abire* maxime in tempore praesenti facile confunduntur, quod ne fiat monet Probus IV p. 200, 11. Et secundum declinationem tertiam formata est persona tertia numeri pluralis **hă[b]unt*, quae fundamentum est formarum Romanensium (Meyer-Lübke II § 237 (p. 270) sqq.).

[2]) Carnoy II p. 106. Bonnet p. 118. Schuchardt II p. 37 sq.

2. Verborum in *-io* desinentium vocalem *-i-* elisam esse videmus in *sapentes* 11745. *capant* Cagnat 07, 68 (nisi per mendum scriptum est pro *cadant*)[1]. Quae elisio nihil miri habet, si formas Romanenses contemplamur, quae maximam partem illam -i̯- omiserunt[2]. Ita nomen Francogallicum *savant* ad *sapentem*, non *sapientem* redit, et linguae Francogallicae vetustioris tertia persona pluralis *receivent* ex **rekẹpunt* orta est.

3. Mirum in modum mutata videtur stirps verbi *quiescendi*. Ut silentio praeteream formas littera *i*, quae est in hiatu, minutas[3]) velut

quescit 152 [I./II. saec.]. 21424 [+]. *quescant* 4637 = 16821. *quevit* 10516 = 11528. *quaevit* 11123 [+],

maioris videntur esse momenti

cesquit 21436 [+]. *cesquet* 1091 = 14230 [+ 397]. *cisquet* 21476. *icceqquet* 21428 [+] („barbare scriptum"),

quae metathesi reciproca ortae sunt. Sed quae metatheseos causa fuerit, non ita liquet; forsitan forma *icceqquet* aliquid nos adiuvet.

Cum Corporis Inscriptionum indices perscrutarer, id quidem mirabar, quod minimum sex metatheseos exempla occurrebant in verbo simplici, nullum certum in verbis compositis, quorum numerus simplicia fere adaequat. Itaque vocabulum quoddam antecedens alicuius momenti fuisse ad *quiescendi* verbi initium deformandum facile coniciamus. Quodsi legimus formam quamvis barbare corruptam *icceqquet*, assimilatione *qu* sono *c* videtur propior facta esse. Neque tamen haec explicatio sufficere potest, cum nusquam forma utputa **cescit* reperiatur neque exempla coniecturam satis probent; nom totiens fere invenimus *c* post *hic* scriptam:

hic cuiscued IX 648 [+]. *ic cisquet* VIII 21476. *icceqquet* VIII 21428 [+]

[1]) Scheifler p. 15. 57.

[2]) Meyer-Lübke II § 174 sqq. (p. 215 sqq.).

[3]) Cf. *Quetus*, *Quetosus* similiaque nomina, quae in indice Corporis IL reperies. — E. Hoffmann p. 10. Pirson p. 57. Carnoy II p. 116.

quotiens post alium sonum:

ubi cesquit IX 647 [+]. *Victorinus cesquet* VIII 1091 = 14230 [+]. *bene cesquant* VI 3446; de *cesquit* VIII 21436, cum lapis fractus sit, quid antecesserit, non constat.

Interesse autem videtur inter *quiescit* et *cesquit* forma assimilatione effecta *quiesquit*, quae invenitur in CIL quater:

quiesquit XII 460. *adquiesquit* X 2354. *requiesquet* X 1541. *requisquet* XIV 2424 [+].

Itaque ad hunc fere modum *quiescit* in *cesquit* transisse iudicabimus: primo consonae syllabas incipientes inter se assimilatae sunt; deinde, cum sermo a duabus syllabis a *qu* incipientibus abhorreret [1]), dissimilatione prior *qu* elementum labiale omisit; quae dissimilatio, cum semper fere in simplicibus verbis videatur facta esse, eo maxime adiuta est, quod saepissime verbum *quiescere* cum adverbio *hic* coniunctum usurpabatur. Accedit quod, si quis *hic quiescit* dicere volebat, tres inter se sequebantur soni gutturales, quorum medius sono semivocali *u̯* affectus erat. Constat autem esse difficillimum sonos similes quidem, dispares tamen celeriter sibi succedentes plene efferre [2]). Itaque ordo sonorum ita expeditus est, ut primo assimilatione, tum dissimilatione facta consonae *c-c-qu* inter se sequerentur, quorum priores pro consona geminata efferebantur, ut probatur scriptura *icceqquet*.

Ad analogiam verbi simplicis compositum formatur *recievit* 459 [+], et fortasse *rekeies(cite)* III 14406 g, de cuius lectione editor ipse dubitat.

4. Saepius recompositione verbi figura ita mutatur, ut compositi stirps formam simplicem sequatur. Ita explicanda sunt [3])

depremas Audoll. 289 b 19. *depremite* Audoll. 250 b [III. saec.]. *deteneas* 12504, 30. *pèrtenebit* 9998.

Nec non ad has formas *ĭ* > *ẹ* mutata aevo labente valuisse potest, quo modo ortus est coniunctivus *acceperent* *12422 [4]).

---

[1]) Cf. *quinque* > *cinque, querquedula* > **cercedula,* alia.

[2]) Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte. [4] Halle a. S. 1909 § 45 p. 67 sq.

[3]) Bonnet p. 486 sqq. Löfstedt p. 259 sqq.

[4]) Pirson p. 9. Bonnet p. 120.

5. Metathesi reciproca sonorum liquidorum efficitur *lerinquas* Audoll. 286 b, quam formam non mendum, sed sermonis plebei propriam fuisse inde colligitur, quod corrigitur a Diomed. art. gramm. 452, 30: *leriquias . . . cum debeat per r prima syllaba dici, reliquiae.*

6. Ad analogiam temporis perfecti innovantur praesens *relinquat* 7156 [c] et gerundivum *reliquendus* 2728, quorum *n* gutturalis vocali nasali facta saepius videtur ex sermone evanuisse[1]); saepius autem ratione inversa in tempore perfecto ad analogiam praesentis *n* consonans servatur[2]).

7. Contaminatione verborum *fruor* et *fruniscor* ortum est participium *frunenti* 22655, 2, ad quam contaminationem maxime videtur valuisse analogia participii perfecti *frunitus*; ut enim *fruitus* ad *fruor* pertinebat, ita ex *frunitus* novum tempus praesens **frunor* formabatur.

8. Syncopa et *d* ad *r* assimilata vel dissimilatione syllabica prodiit forma *desirantissimo* 21134, quae subest in verbis Romanensibus[3]).

9. Adicienda sunt nonnulla minoris momenti exempla, quae verborum stirpem sequioris aetatis pronuntiatione corruptam praebent:

istas 20916 [+] = *stas* *i* prothetica amplificatum est[4]).

moere Cagnat 07, 68. Audoll. 275, 30 [II. saec.]. 282, 25. 284, 31 post vocalem labialem semivocalem *u̯* elisit.

pissit Audoll. 220 b = *possit* iuxta *possint* nihil nisi mendum est; saepius per unam *s* scribitur *posit* Audoll. 221, 4. 8. *posint* Audoll. 221, 10. *ποσιτ* Audoll. 304, IV 3.

praest *20978 a 25. b 25 [107] vocalium synizesin etiam scriptura significat.

ripodere Audoll. 303, II 6. VI 2 et *repoderi* Audoll. 303, I 5 praebent *e* et *i* permutatas et *n* ante dentalem deletam (cf. *demado* Audoll. 268 [III. saec.]); rarius

---

[1]) E. Hoffmann p. 28.

[2]) Pirson p. 152. Roensch p. 287. Bonnet p. 419. Scheifler p. 57.

[3]) Körting n. 2905 (col. 346).

[4]) Roensch p. 467.

autem occurrit *s* ante *p* omissa, cuius alterum exemplum non vidi nisi *Hopitalis* 5434 [1]).

§ 47.

b) de stirpibus temporis perfecti.

1. Formam antiquitus per *e* reduplicatam reperimus *cecurrit* 16566, 8; quam non vere antiquam esse patet, cum nullum in hac inscriptione archaismi indicium inveniatur [2]); sed aut dissimilatione *u-u* vocalium in *e-u* orta aut secundum alia perfecta per *e* reduplicata innovata est.

2. Verbum *dandi* coniugationem primam regularem sequitur tempore perfecto *circumdabit* *14399 [527/65] [3]). Ipsum autem per analogiam valuit ad *impendidi* 21538 [4]), quae forma analogiam verborum *perdere, reddere, condere, vendere* secuta est; quod verbum quamquam in linguas Romanenses non transiit, tamen alia permulta in *-endere* exeuntia his linguis servata in tempore perfecto terminationem *-dẹ́di* recompositione quadam accepisse constat.

3. Nova quaedam verborum classis in linguis Romanensibus continetur verbis in tempore perfecto in *-ui* desinentibus. Cuius innovationis quae causa fuerit, recte mihi Ed. Woelfflin [5]) videtur vidisse; cum enim multa verba in temporibus praesenti et perfecto similiter exirent vel nisi stirpis vocalis quantitate non differrent, ad tempora distinguenda nova formatione opus erat; itaque alia perfectum in *-si*, alia in *-ui* terminaverunt; cur autem terminatio quaeque electa sit, diiudicare vix possumus, nisi quod analogiae quaedam valuerunt. Huius transformationis initia etiam in his titulis occurrunt:

convertuit *2532 D b 1 [128]. *deduit* 20769 [264]. *edifikbimus* *12035 [ca. 600] (bis). *legueris* 20394. *seruerit* Lex Manc. II 22. 27. (iuxta [*sev*]*erunt* IV 4. *severint* IV 4). *inseruerit* Lex Manc. III 10. *amplificuerunt* Cagnat 09, 14.

---

[1]) Schuchardt II p. 355 sq. unum enotavit exemplum nostri simile: *repexit* in cod. Rom. Verg. Ecl. I 29.

[2]) Cf. E. Hoffmann p. 69 adn.

[3]) Corp. Gloss. Lat. IV p. 48: *davit consecravit.*

[4]) Schuchardt I p. 35. III p. 10. Löfstedt p. 300.

[5]) ALL IX p. 139 sq.

Neque autem omnia quae attulimus exempla pariter manifesta sunt. Quadrat quidem explicatio nostra ad perfectum *convertuit*, cum *convertit* et praesens et perfectum significet, et alterum eiusdem verbi legitur perfectum *avertui* [1]); sed in linguis Romanensibus non superstes est.

Melius de *legueris* iudicare possumus. Quod verbum, cuius perfecti personae 3. sing., 1. plur. aetate labente quantitate neglecta a praesente non differebat, duobus modis perfectum terminare poterat et terminavit; *legui* quam notavimus formam invenimus in lingua Francogallica vetustiore [2]); eadem autem lingua simul formas ad *lexi* redeuntes servavit [3]) easque plures.

Ad illa verba cum nesciamus quae valuerit analogia, facile est intellectu perfecta *seruerit* et *inseruerit* pro [*in*]*severit* effecta esse quadam cum verbo *serere*, quod est *conecto*, *iungo*, permutatione [4]).

deduit perfectum, quod editor per compendium pro *dedicavit* scriptum esse vult, potius ad praesens *duo* = *do* mihi videtur redire, quod et in latinitate antiqua et sequiore in verbo simplici et in compositis haud raro occurrit [5]).

amplificuerunt perfectum, quamquam ipsum quoque mendum esse potest, in *-ui* formatum esse concedemus, cum haec forma analogiam verborum in *-icare* desinentium fortasse secuta sit, quorum nonnulla perfectum et in *-avi* et in *-ui* terminant [6]). Quodsi quis *amplificuit* ex *amplificavit* syncopa *a* vocalis ortum esse vult, haec explicatio a nostra non tantum abest; nam *-u-* in *amplificuit* similibusque verbis semivocalem pronuntiatam esse linguae Romanenses testantur [7]).

Quod cum ita sit, etiam formam *edifikbimus* hic posui; *b* enim cum *v* saepissime permutatam esse exemplis probare non

---

[1]) Roensch p. 287. Heraeus p. 39 adn. 1.

[2]) Körting, Formenbau des frz. Verbums. Paderborn 1893 p. 320. Trommlitz, Die frz. *-ui-* Perfekta. Progr. Stralsund 1895 p. 20. Meyer-Lübke II § 281 (p. 327).

[3]) Körting, Formenbau p. 203. Meyer-Lübke II § 286 (p. 336).

[4]) Bonnet p. 420. Neue III p. 395 sq.

[5]) Neue III p. 311 sqq.

[6]) Neue III p. 373 sqq.

[7]) Suchier, Zeitschr. f. roman. Philol. II p. 265.

opus est; itaque unum *quattbor* CIL III p. 805 commemorasse satis habeo, quod ad nostrum plane respondet. Eadem autem analogia qua *amplificuit* illud verbum ortum esse potest.

4. Perfectum in *-ui* desinens a verbo *ponere* formatur. Quodsi legimus

posuuit 18374 [1]) et *istituuit* 9975 [392]. *istituuerunt* 9984 [429]. *istituuisse* 9976,

perfectum in *-ūu̯i* videtur innovatum esse ad analogiam verborum perfectum in *-vi* terminantium [3]), praesertim cum adsit grammaticorum et aetate saltem archaica metri ipsius auctoritas. Accedit quod in permultis perfectis Romanensibus in *-ui* exeuntibus *u* vocalis terminationis accentu acuebatur. Itaque quamquam aetate sequiore *u̯* semivocalis inter vocales saepe debilissime proferebatur [3]), tamen non epenthesin orthographicam subesse, sed analogiam verborum in *-vi* desinentium nec non verbi *fui* suspicabimur.

Verbum *ponendi*, cuius optima aetate tempus perfectum semper *posui* est, ut archaicis temporibus, sic aevo labente etiam in *-ivi* perfectum terminat; itaque huius perfecti formas contractas legimus [4]) *posi* 5749 = 19146. *posit* 5842. 7819. 9459 = 21068. 16752 (bis). Semel *potuerunt* 294 = 11489 pro *posuerunt* invenimus per mendum scriptum, nisi subest scriptura inversa; ut enim saepius in titulis Africanis *t* fortasse assibilata per *s* reddebatur [5]), ita hic *t* pro *s* apparet.

5. Formae contractae *posi*, *posit* videntur valuisse ad tertiam personam numeri pluralis *poser*(*unt*) 21892 [6]), quae ex illis ut *miserunt* ex *misi*[*t*] formata est. Eandem analogiam sequitur *exerunt* 16907 [+].

6. Priscus modus optativus semel reperitur *faxit* Cagnat 08, 238 [+] [7]) in titulo, cuius sermo de industria formas archaicas imitatur (cf. *potis es*).

---

[1]) Pirson p. 151. Carnoy VI p. 336.

[2]) Kroll, Rh. M. LII (1897) p. 573.

[3]) Solmsen p. 36 sqq., praecipue p. 116 sqq., p. 173.

[4]) Pirson p. 151. Carnoy III p. 38. VI p. 336. Schuchardt II p. 469.

[5]) Proskauer p. 153.

[6]) Schuchardt II p. 469.

[7]) Carnoy VI p. 338.

7. Perfectum verbi *scribendi* si legitur *scrisi* Cagnat 06, 132, ortum est soni labialis ad sibilantem assimilatione, quae forma linguarum Romanensium fundamentum est [1]).

8. Ad analogiam verborum compositorum novatur tempus perfectum *stituim(us)* Cagnat 07, 184.

9. Bis legitur forma dissimilatione syllabica orta *redderunt* *10021 [237]. *10025 = *21920 [237]. Perfectum *redidi* Cagnat 03, 317 [+] [2]) propter posteriorem aetatem maiore momento caret neque ad formam vere antiquam referri potest; item consona geminata per unam *t* scribitur in perfectis *retuli* Cagnat 09, 15; *retulit* 21724 [257].

10. Si *dicerit* Audoll. 216 legimus, haec forma mihi quidem non ex tempore praesenti innovata, sed nihil nisi orthographiae proprietas videtur esse pro *dixerit*, cum aevo labente *x c s* similem sonum sibilantem reddiderint; neque *peri* Audoll. 268 [II. saec.] pro *peperit* aliud esse censeo ac mendum. Maiore tamen iure notanda est forma *excidit* 9513 = *excessit*, quae $\bar{e}$ et $\bar{\imath}$ permutatis ita videtur orta esse, ut tempus perfectum ex praesente vocali stirpis producta crearetur ad multorum verborum exemplum; haec autem forma altero loco in Paul. Dig. 11, 1, 43 fulcitur.

11. Accedunt alia quaedam verba, quorum stirps cum scriptura pronuntiationem mutatam imitetur, singulas formas breviter hic posuisse satis habeo:

fici 12777 (iuxta *feci*). *ficit* 11041 („lectio incerta"). *fic.* 16833 b [3]).

viix[it] 9910. 13240. 14730 (an *vexit?* II = E?). 16126. 20515. *viicsit* 17108. [*v*]*exit* 16342. *beixit* 284 = 11477. 11479 [4]). *vxit* 15224. 16774. 19167. 20405. *vxsit* 11462. *vx.* 15739. 21738. 21757. *yx.* 21738 [5]).

---

[1]) Meyer-Lübke I § 458 (p. 384), II § 286 (p. 334). Niedermann, Rh. M. LX (1905) p. 460 sq.

[2]) Cf. CIL II 2394 a. V 2, 7537.

[3]) Pirson p. 2. 5. Carnoy II p. 88. Bonnet p. 107. Schuchardt I p. 311 sqq. Cf. quod dicit Pirson p. 5: *D'ailleurs la majeure partie des parfaits romans de ce même verbe, et en première ligne les parfaits français et provençaux, postulent un prototype latin en i (Meyer-Lübke I § 79).*

[4]) Corssen I p. 718.

[5]) *x* = *ix*, cf. E. Hoffmann p. 18 sq. 63 sq.

obtullit 10498 = Dessau 834 [1]).
quepit (= *coepit*) 21511 [+].
requuit 21571 [+]. *requivit* 21816 [+].
liquit (= *licuit*) 21031 [2]).
decesit 21726 [428]. 21600 [469]. *discesit* 21740 [422?]. 21680 [+ 469]. *dissit* 21728 [361]. 21637 [+ 410]. *dist* 21767. *dissesit* 21801 [ca. 420]. *dicest* 21806 [389]. *prececsit* 21643 [391].
iuserunt *22611 [193/211].
conbuserit Lex Manc. III 23.

12. Nonnunquam perfectorum in *-vi* desinentium *u̯* semivocalis deletur [3]): *colo*[*c*]*ait* 3960. *dedicait* 5667.

Non huc pertinent [4]) *praefinierant* 646, 3. *dormierunt* 21555 [+ 408].

13. Stirpis temporis perfecti formas contractas legi has:

a) ante *s* contractio facta est in *iucundasti* 8624 [+]. *mandasti* 17651. *superasti* 5804. 5834 = 19189 c [c]. Cagnat 08, 15 [c]. *mutastis* *2532 A b 7 [fere 128]. *vitastis* *2532 A a 9 [fere 128]. [*de*]*dicastis* 2780. *desiderastis* 5374. *cessasset* *2532 A b 8 [fere 128]. *postulasset* 714 [232]. *adornasset* Cagnat *08, 268. *expostulasset* Cagnat *08, 268. *parasset* 241 [c]. *expostulassent* *1548 [139/60]. *ornasse* 9170 [305 c]. *locasse* 20903 [+ c]. *procreasse* 4372. *replesti* 15569 [c]. *ammossent* 4635 = 16810. *nosti* 213, 2 [ca. 150 c].

b) ante *r*:

cooptarunt *69 [65]. *confirmarunt* *1296 [379/83]. *amar*[*unt*] 9433. [*ded*]*icarunt* 17510. *signarunt* *11332. *putarit* Cagnat 08, 238 [+]. *violarit* 15716. *ornarat* 8870 [c]. *complerun*[*t*] 1423 [+]. *nesciris* 4635, 12. *norunt* 2803. *norat* 1542.

c) ante *t*:

desit Lex Manc. IV 13. *posit* 5842. 7819. 9459 = 21068. 16752 (bis). *nutrit* 20277, 11 [ca. 299]. *obit* [5]) 8641 [+ 419].

---

[1]) Bonnet p. 434 sq.

[2]) Pirson p. 67.

[3]) Solmsen p. 175. Schuchardt II p. 476. Prob. Inst. art. 160, 14 sq.: *probavit non probait.*

[4]) Solmsen p. 179. Sommer § 372 (p. 611 sq.).

[5]) Neumann, Progr. Pola 1898 p. 9. Carnoy III p. 38. Bonnet p. 440.

16839 [+]. 591. 702 = 12128 [c]. 3275. 9686 [c]. 11883. 20589. 21503. *abit* 7427 [c]. *deperit* 3519, 8 (cuius verbi paenultimam acui probatur metro, cf. Rev. arch. IIIe Série 1891 p. 374).

d) in fine verbi:

peti 5749 = 19146. *posi* 5749 = 19146. *obi* 15987, 8 [c]. *peri* 11108 [c]. 16566, 11 [c].

§ 48.

c) de stirpibus supinis.

1. Eadem recompositione qua stirpes temporis perfecti etiam stirpes supini verborum compositorum ad verba simplicia assimilantur; itaque legimus

asparsus 15569 [c] [1]. *[a]bra[ptae]* 15880, 16. — (*dilacta* 5834 = 19189 [c] per mendum pro *dilecta* scribitur).

2. Ratione inversa stirps verbi compositi ad simplicis stirpem valuit in participio *clus[us]* 21562 [c]; et *cludere* non modo apud scriptores Latinos saepe legitur [2], sed etiam videtur esse fundamentum formae Italianae *chiudere* et Sicilianae *chiudiri* [3].

3. *vocita* 1679 utrum per compendium scriptum esset pro *vocitata*, id quod vult editor, an novum participium ad analogiam verbi *vocitare* formatum, mihi dubium erat; tamen et alii loci [4] et participium Umbricum *vašeto* (Conway, It. Dial. p. 666) formam *vocitus* vere exstitisse probant.

4. *sancitus* 2605. 18897 [5] et *sepelitus* 4966. *sepelita* 15915. *sepellita* 4373 participia ad analogiam verborum quartae coniugationis, quorum stirps in -ī exibat, formata sunt (*sepultus* 15930. 16167. 16159 (bis)).

---

[1]) Cf. *disparsit* Scheifler p. 59. *dispargere* Roensch p. 466. *consparsio* Roensch p. 309. Stangl, Cassiodoriana 40 (Blätter f. d. bayer. Gymnasialschulwesen 34 [1898] p. 550).

[2]) Carnoy III p. 6. 19. Roensch p. 465. Georges Wtf. col. 140. Martin, Notes on the syntax of the Latin inscriptions found in Spain. Diss. Baltimore 1909 p. 39. Seelmann, Gött. gel. Anz. 1890 p. 665 sqq.

[3]) Gröber ALL I p. 548. Körting n. 2243 (col. 277).

[4]) Carnoy VI p. 333 sq. Roensch p. 296. 521. Schuchardt I p. 36.

[5]) Bonnet p. 421.

Sepelutta 15639 [+] nomen proprium a participio perfecti **sepelutus* derivandum est, quod quamquam non invenitur, creberrima participia Romanensia formas in *-utus* cadentes viguisse probant[1]). Idem quadrat in *Creduta* 1700. 15811 (cf. 15840), quod nomen ad participium *credutus* redit; et haec participii forma linguis Romanensibus postulatur[2]); accedit quod eadem facile ad praesens *creduo*, pf. *credui*[3]) referri poterat.

5. *Restutus*, quod participium cognominis loco in maximo usu est[4]), dissimilatione syllabica ortum esse Skutsch ALL VIII p. 368 probavit; quibus locis quotiens reperiatur, index cognominum p. 1032 sq. indicat: *Restutus* et *Restuta* 32ies, *Restitutus* et *Restituta* 23ies; accedunt ex voluminis VIII. supplementis

Restutus 11139. 11182 = 912. 11619. 12153. *12360 [ca. 375]. 12737. 12971. 13911 [+]. 13912 [+]. 13913 [+]. 13914 [+]. 14203 [+]. 14204. 14205. 15072. 15327. 15611. 16571. 16573. 16633. 17420. 17994. 18310. 19879. 21800 [359]. 22632, 79. Cagnat *07, 245 [III. saec.].

Restuta 11586. 11602. 13094. 13915 [+]. 14329 [+]. 15330. 17553.

Restitutus 11621. 11902 [+]. *12145. 12929. 13116. 13405 [+]. 13899. 13900. 13901. 13902. 13903. 13904. 13905. 13906. 13907 [+]. 14197 [+]. 14198 [+]. 14202. 14648. 15519. 16067. 16173. *17408. *18084, 81. 22639, 79 c.

Restituta 12959. 16087.

Eodem ac *Restutus* pertinet forma *Restitus* 5986, quae quomodo orta sit, recte E. Hoffmann p. 14 explicat. Maiore breviatione effectum est participium *Restus* 16101. 16725. Huc accedunt nonnulla nomina ab illis derivata:

Restutulus 12993. *Restutula* 11567. *Restutina* 4616. *Restutianus* 7455. 8559.

---

1) Zimmermann ALL XIII p. 130.

2) Meyer-Lübke II § 172 (p. 214).

3) Neue III p. 313.

4) Pirson p. 54. Carnoy III p. 38 sq. Eius nominis formae et loci in titulis reperti colliguntur a Gualtero Otto, Neue Jahrb. Suppl. XXIV p. 835 sq. Similia apud Stanglium in Pseudoasconianis (Paderborn 1909) p. 169.

6. In participiis *Repostus* *826 [230]. 1287. 7932. 18602. *Reposta* 3573. 15231 [1]). *postum* (?) 21530 [468] [2]). *misertus* 7156 [3]) subest syncopa; et forma syncopa minuta *postus* linguis Romanensibus postulatur [4]).

7. *u̯* semivocalis elisa est in participio *mortus* 4692 b 13. 9731 [416]. 8774 = 20590 [419]. *mortu* 19525 b. *μορτους* Audoll. 231. Quae elisio utrum compluribus consonantibus antecedentibus effecta sit an, id quod voluit C. Iulius Caesar in libro de analogia [5]), secundum plurima participia in *-tus* exeuntia, non clarum est; in sermone autem vulgari eam multum viguisse exempla permulta [6]) et linguarum Romanensium consensus [7]) docent.

8. *uu* pro *u* in *fruuita* 5798 E. Hoffmann p. 45 recte, opinor, nihil esse nisi epenthesin orthographicam censet (sed cf. *istituuisse* etc.); participia rariora *fruitus* et *frunitus* leguntur 5370. 7156 (bis). 5798 et 9519, 8 [c]. 19606.

9. Per dittographiam scribitur participium *situtus* 21134. Recte secundum pronuntiationem *n* ante *s* omittitur in participiis *sposus* 4318. *impesis* 4425.

§ 49.

B. De terminationibus.

Maxime verborum exitus, cum semper fere atoni essent, aevo labente debilitati sunt. Quae commutationes cum ad res phoneticas maximam partem spectent, longiores explicationes hic locum non habent. Itaque saepius ad libros qui sunt de arte phonetica delegasse satis habebo.

a) De terminatione *-it*:

1. Terminationis huius vocalis semper atona inter *e* et *i*

---

1) Carnoy III p. 38.
2) Pirson p. 50. Scheifler p. 15. 58. Neue III p. 533 sq.
3) Neue III p. 531 sq.
4) Gröber ALL IV p. 448. Meyer-Lübke II § 339 (p. 381).
5) Apud Isidorum Origg. XI 2, 33.
6) Carnoy III p. 38. Schuchardt II p. 465. Neue III p. 529.
7) Gröber ALL IV p. 121. Meyer-Lübke II § 339 (p. 381).

ita nutabat [1]), ut quodammodo permutatio temporis praesentis alterius et tertiae coniugationis facta esse videatur:

cesquet 1091 = 14230 [+]. *iccegquet* 21428 [+]. *ic cisquet* 21476. *fu[l]set* 8896 [c]. *requiescet* 19866 ad 8190. *vixet* 21241.

2. Ex eadem terminatione a celeriter pronuntiantibus *i* vocalis eliditur, quae syncopa probatur linguis Romanensibus [2]); itaque legimus [3]):

dedicavt 9067 = 20756 [ca. 227]. 9061. 14297. *dicest* (= *decessit*) 21806 [389]. *vixt* 21638 [395]. 9752 [+ 450]. 21737 [490?]. 9921 [549]. 349 = 11570. 6217. 2330. 4714. 8609 = 20392. 16128. 16764. 17800. 18413. 20514. 20557. 21563. 21591. *vicxt* 11237. *vicxst* 21264. *v(i)xt* 9876 [480]. 13787 [+ IV./VI. saec.]. 4716. 6393. 6531. 20785. *fact* 17642 (iuxta *facit*). *fect* 686. 2339 [147]. 4359. 9920 cf. p. 2065 [550?]. *fet* 21767 [530] (*c* ad *t* assimilata an per compendium scriptum? Sed *fet* et *fe* in dialectis quibusdam Romanensibus reperiuntur [4])). *militavt* 3275. 21046.

Non per syncopam, sed per vocalium contractionem *i* omittitur in

fut 9179 = 20819. *posut* 399. *statut* 11154.

3. Haud raro terminationi *t* finalis detracta est; qua de re videsis E. Hoffmannum p. 23 sq. [5]).

4. Exitus *-i* pro *-it* ita ortus, cum verba Latina in *-ĭ* desinentia non exstent, per *-e* scriptus invenitur:

dede. fece 8239 cf. 20076 [120].

5. *-it* in *-is* mihi videbatur per errorem mutatum esse, si legimus

recessis 20644 [+ 467]. *bisis* (= *vixit*) Cagnat 06, 131 [+].

---

[1]) Pirson p. 34 sq. Carnoy II p. 86 sq. Bonnet p. 121. 413 sq. Scheifler p. 55. Corssen II p. 233. Stangl, Der sog. Gronovscholiast zu elf ciceronischen Reden. Prag, Leipzig 1884 p. 78. Löfstedt p. 133 sq.

[2]) Meyer-Lübke II § 266 (p. 300 sq.).

[3]) Pirson p. 57. Carnoy III p. 39. Schuchardt II p. 399 sq.

[4]) Meyer-Lübke II § 299 (p. 345).

[5]) Carnoy IV p. 200.

vixsis 125. 5445. 11840. 20309. 21561. *remisis* Cagnat 02, 164.

Tamen cum saepius nobis haec res in Africa occurrat semelque legatur *vicsits* 7434 ad p. 965, fieri potest ut hac scriptura assibilatio quaedam *t* soni indicetur [1]).

6. Pro *-it* legimus *-iit*:

vixiit 3651 (ibid. *Floriius*). 21241. [*v*]*icsiit* 9344 cf. p. 1983. *feciit* 9910 (ibid. *viixit*).

Pirson p. 152 *-ii-* vocales ad analogiam perfecti *obiit* geminatas esse contendit; neque autem, quid *obiit* valuerit ad *feciit*, video neque *obiit* crebo invenitur, immo saepius in *obit* contractum. Itaque praesertim cum in duobus titulis supra citatis alterum *i* geminatae exemplum occurrat, has formas nihil nisi scripturae proprietates esse censeo.

7. Si in titulo 21179, 13. 15. [100? c.] = CLE 429 bis videmus *sic* scriptum pro *sit*, haec vera est proprietas sermonis Africani; loco priore cum *grave* subsequatur, illa forma assimilatione videtur effecta esse; quae explicatio non quadrat in v. 15., ubi *sic pondus* legitur. Alia huius „memorabilis corruptelae Africanae speciminis" exempla attulit Buecheler ad hunc locum: *macri piae* 373. *Lepcitana* 3521. *Aucronia* 654. *ticulus* (?) 9048.

b) De terminationibus *-unt*, *-ant*, *-ent*.

1. Semel in titulo satis antiquo exitum *-unt* per *o* vocalem scriptum legimus post *v*, quae littera sonum *o* diutius conservavit [2]): *solvont* 16456 [3].

2. In nonnullis formis *t* finalis de illis terminationibus decidit [3]):

coeperun [II. saec.] (propter spatium). *adsurgun* 19913 [+ IV. saec. c.]. *fecerun* 7928 [+] (pr. sp. et *t* sequente). 11471 (p. s.). 11481 (p. s.). *cadan* Cagnat 03, 208 = Audoll. 272. Cagnat 03, 209. *constituerun* 21671 (iuxta *dedicaverunt*). *frangan* Cagnat 03, 208 = Audoll. 272. Audoll.

---

[1]) Id quod vult C. Proskauer p. 153.

[2]) Cf. *vivont* Pirson p. 47.

[3]) Carnoy IV p. 201. Diehl p. 286. Seelmann p. 368.

274. *guren* (= *gyrent*) Cagnat 03, 208 = Audoll. 272. *possin* Cagnat 03, 208 = Audoll. 272. *sun* *270 b 26 (p. s.).

3. Ita cum *t* finalis exceptis devotionum tabellis nisi propter lapidis spatium exiguum non videatur decidisse, etiam *-nt* litterae amissae eandem explicationem habent[1]):

feceru 5676 (p. s.). 21795 (p. s.). *fecru* 4361 (p. s.). *solveru* 15120 (p. s.).

Sed *nt* litteras non modo e scriptura, sed etiam e sermone cessisse testatur lingua Romanica[2]).

4. Neque igitur mirum est, cum *-nt* finales a pronuntiantibus tantopere neglegerentur, *-m* pro *-nt* scriptam esse[3]): *ponum* 6951. *egerum* 11306.

5. Ut *n* saepius ante dentales omittebatur[4]), ita etiam de terminationibus *-unt*, *-int*, *-entur* elisa est:

istituerut 9977 [398]. 9982 [416]. *possit* Audoll. 295, 17 [III saec.]. *pissit* (per mendum pro *possint*) Audoll. 220 b. *abetur* Cagnat 08, 155 [+]. *fecerut* 2192. 5926. *perfecerut* (?) 21722.

Scriptura inversa *n* littera inserta est in *ρεσπικιαντ* Audoll. 252, 37 pro *respiciat*.

6. Unam compendii explicationem videntur habere *fecern* 9156[5]). *posuert* 11616.

c) *S* finalis ut saepissime in omnium generum vocibus ita in terminationibus verborum omittitur:

collida Cagnat 02, 54 = Audoll. 286 b (iuxta *occidas*). *depona* 19525 b. *facia* 19525 a. b. *valea* 22632, 52 (nisi pro *valeat*).

d) *T* finalis detrahitur tertiae personae singularis praesentis verbi *esse*: *ades* 9277 = 20855. *sitas* 21308. *potes* Audoll. 221, 2. 7. 9.

e) *M* finalem decidisse consentaneum est in *meruera* 13134, 23. *viveri* 13134, 22 (*e* et *i* finalibus permutatis).

---

[1]) Pirson p. 105. Carnoy IV p. 201. Diehl p. 287.

[2]) Meyer-Lübke II § 131 (p. 161).

[3]) Carnoy IV p. 201. 238. Diehl p. 287.

[4]) E. Hoffmann p. 27 sq.

[5]) Carnoy IV p. 201.

f) More archaico exitus temporis perfecti *-isti* per *-ei-* scribitur: *legeisti* 21179, 13 [ca. 100]. Dissimilatione syllabica vel syncopa, ut accentus in syllaba primitiva positus servaretur, ortum est perfectum *vixti* 21284 [1]).

g) *b* et *v* litterae saepissime in Africa permutatae effecerunt, ut tempus perfectum et futurum scriptura plane confunderentur et denique causam novi futuri formandi afferrent [2]). Ita legitur

1. tempus futurum littera *v* pro *b* scriptum: *timevo* Cagnat 08, 159 [+]. *videvis* 2220 add. = 17614 [+]. *inferevit* 19174. *renovaveris* 12792 [c]. *valevit* 5352.
2. tempus perfectum per *b* pro *v* scriptum: *requiebit* 2570 [+ 420] (bis). *quiebit* 11649 [+ 510]. *circumdabit* *14399 [527/65]. *edifikbimus* *12035 [ca. 600] (bis). *dormibit* 11084 [+]. *exib.* 11727 [+]. *requiebit* 452 = 11652 [+]. 2010 [+]. 2011 [+]. 2016 [+]. 5492 [+]. 10636 [+]. 10638 [+]. 10641 = 16663 [+]. 11128 [+]. 16657 [+]. 16658 [+]. 16661 [+]. 16662 [+]. 16665. 17445 [+]. 17717. 19671 [+]. Cagnat 05, 31 [+]. *reqiebit* 16656 [+]. *conplebit* Cagnat 09, 119. *dedicabit* 20728. *militabit* 5229. *probabit* *12144. — *quiepi* 451 = 11650.

h) Gerundivi forma antiquior in formulis semper repetitis servatur [3]):

faciundum *68 [a. u. 742]. [*sc*]*ribundo* 270 = *11451, 5 [138]. *faciundam* *797 [139/61]. *faciundum* 811. 7981. 9379. 18446. Cagnat *08, 21. *oriundo* 19996.

i) De participiis temporis praesentis in *-as*, *-es* pro *-ans*, *-ens* cadentibus vide E. Hoffmannum p. 26.

k) Perfecta in *-ere* exeuntia, quae apud poetas et rerum scriptores maxime in usu fuisse Neue III p. 190 affirmat, ego quoque plurima in carminibus repperi [4]):

---

[1]) E. Hoffmann p. 7 adn. 4.

[2]) Pirson p. 61. Carnoy III p. 365. Bonnet p. 165 sq. Corssen I p. 131. Schuchardt I p. 131. III p. 68. Seelmann p. 239. Thielmann ALL II p. 161 sq.

[3]) Neue III p. 331 sq.

[4]) Cf. Bonnet p. 441 sq.: *-re apparaît là où le ton s'élève.* Löfstedt p. 36 sqq.

voluere 212, 67 [ca. 150 c]. *pepercre* *20267 [359/88 c]. *posuere* 2185 [+]. *conposuere* 21275, 6 [c]. *dedere* 1523 b 14 [c]. *dixere* 21303 [c]. *doluere* Cagnat 05, 107 [c]. *fecer[e]* 14448 [c]. *ingemuere* 9519 [c]. Cagnat 05, 107 [c]. *posuere* *1623. *scripsere* 16566 [„scriptorem ad poetae partes adspirasse suspicor" editor]. *statuere* 9019 [c].

l) Vetustioris sermonis formae servatae sunt in formula sepulcrali *tera tibi levis siet* 4122 [1]) et in carmine 212, 58 [ca. 150]: *mavolt* [2]).

m) *offeret* 2389 cf. 17822 [641/7] tempus praesens non per epenthesin inter liquidam et tenuem consonam factam vocalem *e* sumpsisse, id quod vult E. Hoffmann p. 43, sed ad analogiam tertiae personae in *-et* et *-it* exeuntis formatum esse verisimilius mihi quidem videtur esse [3]).

§ 50.

C. De coniugationibus permutatis.

Ut nomina permulta heteroclita fuisse vidimus, ita verba quoque diversas simul coniugationes sequentia non defutura veri simile est. Eamque deformationem semper fere aliqua forma complurium declinationum communi effectam esse ut illic sic hic videbimus.

1. Verbi *ciere* si coniunctivus praesentis est *cient* Cagnat 07, 68 in devotionis tabella, aut mendum est aut permutatio cum frequentativo verbo *citare* subesse potest.

2. *lavere* et *lavare* tota latinitate simul in usu fuisse constat [4]); semel repperi tempus futurum *laves* 8424 [5]).

3. *icohivit* 17397 per errorem videtur scriptum esse.

4. Qua neglegentia quantitatis vocalium fuerit sermo plebeius, maxime Afrorum, ut ait Consentius p. 392, 3 sq. et p. 392,

---

[1]) Pirson p. 110. Neue III p. 595 sqq.

[2]) Carnoy II p. 136 sq.

[3]) Carnoy II p. 87. III p. 32. VI p. 335. Bonnet p. 434. Roensch p. 286.

[4]) Inter *lavere-lavare* quae intercedat ratio, disserunt Jakobsohn et Schulze in Zeitschr. f. vgl. Sprachforsch. XL (1907) p. 113—121; Jakobsohn ibid. XLII (1909) p. 150—163; Stolz, Idg. Forsch. XXVI 2 (1910) p. 119—127.

[5]) Roensch p. 283. Neue III p. 258 sqq.

11 sq., quicunque Buecheleri Carmina Latina Epigraphica perlegerit, facile intelleget; neque igitur mirum est quod multa verba inter secundam ac tertiam coniugationem nutasse et denique in unam mixta esse linguae Romanenses testantur.

Huc an pertineat *curerre* Cagnat 07, 69, nescio; sed *pendēre* et *pendĕre*, quamvis diversa significatione, promiscue usurpabantur velut *pendunt* 7854 [1]) pro *pendent*, eandemque permutationem verbum Francogallicum *pendre* testatur.

Verbi *ferre* tempus futurum *inferet*, cum a praesentis sono non multum afuerit, sequitur coniugationem stirpium in -*ē* cadentium [2]): *inferevit* 19174.

Verbum *habendi* tempore praesenti secundum coniugationem III. vel IV. flecti iam supra dixi exemplaque attuli (§ 46 a 1 α).

5. Cum verba plurima praesens in -*io* vel perfectum in -*ui* terminantia coniugationem tertiam sequantur velut *elicere*, in hanc coniugationem *salire* transisse non mirum est, cuius verbi imperfectum invenimus *saleret* 2631 [3]).

6. Ex temporis praesentis persona prima originem duxit analogia, quae verba coniugationis tertiae in -*io* exeuntia in quartam transtulit et usque ad hunc diem in linguis Romanensibus hoc exitu servavit [4]); ita legimus *fugivi* Cagnat 06, 148 [5]), quod verbum in omnibus nostrae aetatis linguis in numero verborum in -*ire* desinentium habetur [6]); imperativus *recipi* 12130 [+] an hic numerandus sit, incertum est, cum haec forma per se nihil nisi -*ĕ* et -*ĭ* finales permutatas esse probare possit; sed alibi quoque *capire* et *recepire* leguntur [7]) et nonnullae linguae Romanenses easdem formas testantur [8]).

---

[1]) Scheifler p. 55 sq. 57. Löfstedt p. 134.

[2]) Roensch p. 291. Ott, Jb. f. class. Philol. 109 (1874) p. 838. Thielmann ALL II p. 160 sq.

[3]) Neue III p. 257 sq.

[4]) Meyer-Lübke II § 119 (p. 145 sqq.).

[5]) Bonnet p. 427. Scheifler p. 9. Roensch p. 285. Neue III p. 244 sq. Schuchardt I p. 407.

[6]) Gröber ALL II p. 428. Meyer-Lübke II § 119 (p. 145). Körting n. 4026 (col. 459).

[7]) Schuchardt I p. 407. Cf. Augustin. epist. III 5.

[8]) Körting n. 1869 (col. 231); n. 7839 (col. 812). Meyer-Lübke II § 119 (p. 147).

7. Verbum *ire* totum sequitur coniugationem quartam. Perfectum occurrit [1])

exivit 8407 [+]. Cagnat 09, 24. *exibi*[*t*] 2189 [+]. *exib.* 11727 [+]. *transivit* 20288 [c] (ab auctore doctissimo qui Vergilium imitatus est: CLE 1834).

Praesens:

exiat Audoll. 250 b [III. saec.]. *transias* 9069 [320] cf. 20739 [374]. *iamus* 2005, 12.

Gerundivum: *ambiendo* 608 [294/305].

Ad *iamus* 2005, 12 sane id notandum est incertum esse an illa forma solius acrostichi causa per *i* scripta sit; omnesque coniunctivi praesentis *e* et *i* propter hiatum facile confundere poterant. Imperativus autem *ade* 12118 pro *adi* *e* et *i* finales permutavit.

§ 51.

D. De generibus permutatis.

Ut sermonis antiqui sic plebei est deponentium loco activa usurpare, quae in linguis Romanensibus plane illa summoverunt [2]). Facile enim apparet indoctissimos quosque et abhorruisse ab usu verborum, quibus sub forma passiva vis activa inerat, et sermonem doctiorem affectantes ratione inversa deponentia activorum loco usurpasse ita, ut facile generum permutatio fieri potuerit. Quae permutatio eo facilius exsistebat, cum a sermone aetatis labentis *ī* finalis correpta saepe cum *ĕ* locum commutaret. Itaque cum activa et passiva forma non iam satis distinguerentur, nova ratione genus passivum formari opus erat. Tituli autem Africani permutationis haec praebent exempla:

1. activa pro deponentibus:

sortias (?) 13661 [+] [3]). *conaverit* Audoll. 216. *miseraverunt* 2293 [4]). *record*[*as*] 7255 [5]).

---

[1]) Bonnet p. 416. 418 sq. 439. Scheifler p. 59. Roensch p. 289 sq. Neue III p. 430 sqq.

[2]) Körting, Der Formenbau des frz. Verbums. Paderborn 1893 p. 29.

[3]) Iam apud Plautum et Ennium: I. B. Hofmann, De verbis quae in prisca latinitate exstant deponentibus. Diss. Monac. 1910 p. 45.

[4]) Carnoy VI p. 336. Acc. trag. 195.

[5]) Scheifler p. 63. Quadrigar. ap. Non. p. 475. Varro de l. l. 6, 46. —

Ita sensu passivo usurpantur participia
solatus 13328 [1]. *testificatior* *5231 = *17416 [2])

2. deponentia pro verbis activis [3]:
certantur 21510 [4]. *repoderi* Audoll. 303, I, 5.

3. Accedunt nonnulla activa, quae deponentium loco usurpantur ita, ut obiecto actionis omisso verborum absolutorum munere intransitive fungantur [5]:

frangat Cagnat 03, 136 (5ies iuxta *disfran[ga]tur*). Audoll. 275, 19. 21. 23. 24. 25. 27. Audoll. 279, 2. 3. 4. 5. 6. 12 (iuxta *disfrangatur*). *fragat* Cagnat 03, 136, 6.

frangant (semper fere iuxta *disfrangantur*) Cagnat 03, 133 (bis). 137. Audoll. 275, 31. 276, 11. 23. 280, 12. 281, 12. 282, 26. 29. 283, 28. 31. 284, 16. 32. *frangan* Cagnat 03, 208 = Audoll. 272. Audoll. 274. (Semel legitur *frangatur* Audoll. 293 a 15).

vertat [6] Cagnat 03, 133 (10ies); 134 (9ies); 135 (6ies); 136 (6ies). Audoll. 275 (7ies); 276 (10ies); 277 (8ies); 278 (5ies); 279 (5ies); 282 (8ies); 283 (13ies); 284 (6ies).

vertant Audoll. 275 [II saec.] (bis). 276, 24. 282, 27. 284, 18. 21.

Quae verba cum omnia in defixionum tabellis ad cursus pertinentibus occurrant, sermonis cursorum videntur fuisse propria.

---

conversans 12504 = Audoll. 233 non idem ac *conversas* pro *conversaris*, sed participium esse recte Poukens p. 286 explicavit.

[1]) *consolari* sensu passivo: Roensch p. 388. Bonnet p. 404. 406. 408; *desolari* passivo sensu: Bonnet p. 404. Roensch p. 521. — *consolaret* Varro Men. 347.

[2]) *testificare* Scheifler p. 55. Bonnet p. 405.

[3]) Löfstedt p. 214 sqq. et in Beiträge p. 77 sq. et in Spätlateinische Studien, Uppsala 1908 (Skrifter utgifna af K. Humanistiska Vetenskaps-Samfundet i Uppsala. XII. 4) p 53 sq.

[4]) Roensch p. 302. Heraeus p. 39. ThLL III 899, 19 (ubi hic locus deest).

[5]) Bonnet p. 628 sqq. Löfstedt, Beiträge p. 86. 91. 104. Woelfflin ALL X p. 1—10.

[6]) *vertere* iam prisca latinitate intransitive dicitur: I. B. Hofmann l. c. p. 25.

4. Hoc loco adiungam participia quaedam praesentis activi, quibus vis passiva inest:

amantissimus [1]) 21768 [350?]. 21644 [366]. 21633 (bis) [382 et 372]. 13059. 14474. 16374. 16410. 18281. 20165. 20718. 20728. 20793. 21295. 21630. 21764 (bis). *desiderantissimus* [-*o*] [2]) 12217. 16410. 21113. 21134. (*desideratissimus* 21136.)

Quae formae quomodo explicandae sint, dubitari potest. Roensch p. 456 eas ex gerundivis ortas esse vult; quae explicatio quamquam significationi satisfacit, tamen, cum nusquam fere forma per *-d-* scripta reperiatur, reicienda est; omniaque quae is attulit exempla, versiones sunt adiectivorum Graecorum verbalium in *-τός* desinentium velut *amantissimus* = *ἐπιθυμητός*, *ἀγαπητός*; *desiderantissimus* = *ἐπιπόθητος*. Magis mihi arridet Buecheleri sententia in Mélanges Boissier p. 80—90 prolata; is enim participium praesentis activi in illis formulis munere passivi participii praesentis, quod non exstat in lingua Latina, fungi dixit. Et recte ad Buecheleri commentationem Pirson adnotavit terminationem superlativam ita valuisse ad participium, ut *la valeur adjective du participe a pris peu à peu le dessus sur la nature verbale et il a fini par exprimer une qualité permanente*, *ce qui explique l'emploi du participe seul ou accompagné du datif* [3]).

Sed hic iam morphologiae et syntaxeos fines inter se attingunt.

---

[1]) Paucker, Spicilegium addendorum lexicis Latinis. Mitaviae 1875 p. 187. Georges Wtf. col. 42. Poukens p. 286.

[2]) Georges Wtf. col. 207. Neue II p. 215. Poukens p. 286.

[3]) Vollmöllers krit. Jahresbericht über die Fortschritte der roman. Philologie VII (1902/03), I 73 [68].

Argumentum.

Vita.

Natus sum *Ericus Pieske* Mocbore, in vico prope Vratislaviam sito, a. d. IV. Kal. Sextiles anni 1889 patre *Theodoro*, matre *Aemilia* e gente *Oldenroth*, quos praematura morte mihi adulescenti ereptos esse valde doleo. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Saganense adii vere anni 1899. Unde testimonium maturitatis adeptus vere anni 1908 universitatem Vratislaviensem petivi studiis philologicis operam navaturus. Aestate autem anni insequentis inter cives academicos universitatis Monacensis receptus sum. Deinde Berolinum profectus postquam ibi menses hibernos degi, ad almam matrem Fridericam Guilelmam Silesiacam redii. Docuerunt me viri clarissimi

Monacenses: *Burger*, *Cornelius*, *Crusius*, *Hecker*, *Neumayer*, *I. Simon*, *Simonsfeld* †, *Vollmer*, *Wolters*;

Berolinenses: *Haguenin*, *Moore*, *Mutschmann*, *Neuhaus*, *Norden*, *Preuner*, *Rambeau*, *Roethe*, *Simmel*, *von Wilamowitz-Moellendorff*;

Vratislavienses: *Appel*, *Baumgartner*, *Cichorius*, *Foerster*, *Gercke*, *O. Hoffmann*, *Kroll*, *Kühnemann*, *Pillet sen. et iun.*, *Rigal*, *Sachs*, *Sarrazin*, *Scheer*, *Schrader*, *Seger*, *Skutsch* †, *Stern*, *Stoy*, *von Wenckstern*, *Wendland*, *K. Ziegler*.

Seminariorum aditum benignissime mihi fecerunt philologici *Foerster*, *Gercke*, *Skutsch* †; archaeologici *Foerster*, *Wolters*; romanici *Appel*, *Rigal*; philosophici *Baumgartner*, *Stern*; historici *Cichorius*. Ad societatem Graecam comiter me *Gercke* admisit. Exercitationibus autem ut interessem palaeographicis *Simonsfeld* †, epigraphicis *Preuner* permisit.

Quibus viris humanissimis gratias ago magnas, maximas *Skutschio*, praeceptori desiderantissimo, qui non modo auctor sed etiam fautor huius dissertationis fuit, et *Foerstero*, qui post *Skutschii* mortem in dissertatione perficienda benignissime me adiuvit. Nec non *Appelio* et *Gerckio* quid debeam, semper grato pioque animo memor ero.

Theses.

1. Apollinem ut deum nuptialem cum Diana coniunctum esse cognoscitur ex vase rubris figuris ornato, quod servatur in musei Parisini, cui nomen Louvre est, conclavi L („Céramique Grecque — trouvée en Grèce") sub numero 55 et publici iuris factum est ab O. M. von Stackelberg, Die Gräber der Hellenen. Berlin 1837. Tabula XXXII.

2. Interpolator versuum Hom. Od. λ 602 sqq. recentioris aetatis est quam Hesiodi Theogonia et Opera.

3. In Soph. Electr. v. 47 (ed. O. Iahn) codicum lectio *ὅρκῳ* retinenda est.

4. In Bion. Epitaph. v. 74 (= Mosch. III. ed. Wilamowitz, Bucol. Gr. p. 91) codicum scriptura corrigenda est in: *πᾶσαν δὲ πλῆσαι.*

5. In versu Lucret. III 962 (ed. Bailey) codicum lectio *magnis* probari potest.

6. In carmine Propert. I 3, 27 (ed. Phillimore) codicum deteriorum lectio *duxti* recta est.

7. In versu Pseudo-Vergil. Cir. 88 (ed. Baehrens-Vollmer PLM I 1910) retinendum est: *docta Palaephatia testatur voce papyrus.*

8. In Minuc. Fel. Oct. 5, 5 parum recte Boenig *terrarum* pro codicis lectione *terram* scripsit.

9. In Minuc. Fel. Oct. 6, 3 recte codex *mansit* praebet.

10. In Minuc. Fel. Oct. 8, 4 pro Synnerbergii coniectura *misereri* codicis lectio *miseri* retinenda est.

11. Bédier (les légendes épiques. Paris 1908) errat, cum carmina epica Francogallica vetera ducentis demum vel trecentis annis post res gestas eaque praecipue monachis auctoribus orta esse dicit.

Theses

1. Apollinem ut deum supplicem cum Diana coniunctum esse repraesentatum ex vaso rubris figuris ornato, quod asservatur in musei Parisini, cui nomen Louvre est, [illegible] Greeque — trouvée en Grèce) sub numero [illegible] publici iuris factum est ab O. M. von Stackelberg, Die Gräber der Hellenen, Berlin 1837, Tafel XXXII [illegible]

2. Interpolationem [illegible] Hom. Od. [illegible] quae [illegible] [illegible] quae [illegible] Theognis et [illegible]

3. In Soph. Electr. v. 47 (ed. O. Jahn) codicum lectio [illegible] [illegible]

4. In [illegible] v. 74 = [illegible] III [illegible] [illegible] (Gr. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

5. In [illegible] 111 [illegible] ([illegible]) [illegible] [illegible] [illegible]

6. In [illegible] 2, 37 ([illegible]) [illegible] [illegible] [illegible] recte est.

7. In [illegible] Pseudo-Vergil. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] I [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

8. In [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

9. In [illegible] [illegible] codex [illegible] [illegible]

10. In [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

11. [illegible] (Paris 1909) [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]